



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Index Concionatorius Per Dominicas & Festa per Annum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



## INDEX CONCIONATORIUS Per Dominicas & Festa per Annum.

### Dominica I. Adventûs.

*Respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Luc. cap. 21. v. 28.

**C**ur adventante extremo Judicii die erunt signa in sole, luna, & stellis: *Respicite, & levate capita vestra?* R. Ecce appropinquat redemptio vestra. Redemptio nostra crux est Dominica: *tunc parebit signum Filii hominis.* Quod signum præ cæteris Passionis instrumentis præcedet Regem demonstrans eum, qui prius fuerat crucifixus, ad cujus adventum *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Disce ex hoc amare sanctam crucem. Vide Considerationem CXLIX. Quare signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit?

Math. 24.  
v. 29.

Math. 24.  
v. 30.

### Dominica II. Adventûs.

*Et beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Math. 21.

**I**saias Propheta de Christo venturo vaticinium tulit: *erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali.* De quo pariter S. Simeon tanquam de tenello puero: *ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur.* Quando Christus positus est in signum, cui contradicendum fuit? R. In cruce, huic signo contradicunt, ait Didacus Stella, superbi, iracundi, avari & invidi, denique omnes peccatores. Vide Considerationem XXXI, Jeremias in pluribus fuit typus crucifixi Jesu, piencissimi Redemptoris nostri.

Isa. 5. v. 14.

Luc. 2. v. 34

Didacus  
Stella in  
Luc. 2.

Do-



## Dominica III. Adventûs.

*Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* Joan. 1.  
v. 26.

**O**bservat Euthymius, quòd Christus se velut personam popularem ac vilem medias inter turbas miscuerit, ut prædicationem S. Joannis Baptistæ in deserto audiret. Ecce medius DEI & hominum mediator medium in nativitate, in vita, & in morte sua elegit. Vide Considerationem LIX. Cur Christus in medio terræ salutem nostram voluerit operari?

## Dominica IV. Adventûs.

*Omnis mons, & collis humiliabitur.* Luc. 1.

Venerabilis Beda  
apud Manf.  
hæc Dom.


**V**enerabilis Beda per illos montes, qui in altum eriguntur, superbos intelligit, qui in adventu Redemptoris nostri humiliati sunt, quia juxta ejus vocem *Omnis qui se exultat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Vide Considerationem LXXV. Meritò confundi debent omnes superbi, dum Christum crucifixum intuentur, & considerant.

## Dominica infra Octavam Nativitatis.

*Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël.* Luc. 2. v. 34.

Didacus  
Stella in  
Luc. c. 2.

**H**anc veritatem Didacus Stella per similitudinem pereleganter mundo demonstravit: *Lapis*, inquit, *positus est in itinere, & ostendit iter; tu si impingis in illum, tibi imputabitur, quia ex malitia tua, vel negligentia provenit.* Hoc Propheta Evangelicus hodie nobis insinuat, dum de Christo vaticinatus est: *Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël;* nam peccatores plurimi videntes DEI misericordiam, & quomodo indulget peccatoribus, resurgunt à peccatis, sed aliis est in ruinam, quia videntes, quòd Christus misericors est, abutentes misericordiâ, fiunt deteriores, & bonitate DEI quâ convertendi erant, abutuntur, ac peiores fiunt. Hæc Didacus Stella. Vide Considerationem LXVI. Christus in cruce pendens suam demonstrat misericordiam, sed & justitiam.



Do-



## Dominica I. post Epiphaniam.

*Et factum est, post triduum invenerunt eum in templo.*

Luc. 2.

**H**Oc triduum, in quo Christus perditus fuit, & Hierosolymis permansit, juxta mentem S. Ambrosii præludium fuit illius tridui, in quo Dominus post 21. annos in ara crucis pro salute mundi esset immolandus. In hoc triduo disputabat cum Legis Doctoribus de adventu Messiae, conditione, & natura, quem magnis rationibus, sacris Scripturarum testimoniis imminere jam, atque instare probabat. In hoc triduo erat JESUS in solennitate, ait S. Eucherius, qui totus erat causa solennitatis; ipse jugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus sacrificiis offerebatur. Considera hinc grande desiderium, quo Salvator tuus adhuc duodennis ad passionem suam, & crucem anhelavit. Vide Considerationem XXXIX. De ardenti desiderio Filii DEI in cruce redimendi mundum deperditum.

S. Am-  
brof. l. 2.  
in Luc. c.  
2. v. 46.

## Dominica II. post Epiphaniam.

*Nondum venit hora mea.* Joan. 2.

**D**Eficiente vino dicit Mater JESU ad Dominum. *Vinum non habent. Et quid benignissimus Dominus? Quid mihi & tibi est mulier. Nondum venit hora mea.* Quando ergo venit illa hora? æ. S. Augustinus, quando JESUS pependit in cruce, & mater ejus sub cruce stabat; hæc erat illa hora, quando Longinus latus ejus aperuit, & continuè exivit sanguis & aqua, non mixtim, sed separatim; en vinum rubrum, & album. Esuris? Hinc manna collige. Sitis? Bibe è paradisi fonte, quia Cherubini gladius in lanceam versus est, quæ nobis viam cæli aperuit. Ite nunc charissimi & haurite ex hoc divinissimo fonte in vitam æternam. Vide Considerationem CXI. Crucifixus verus Pelicanus amoris, qui in sanguine suo nos vivificavit.

S. Aug. a-  
pud Cor-  
nel. à Lap-  
hic.

## Dominica III. post Epiphaniam.

*Domine si vis, potes me mundare.* Matth. 8.

**D**UOS hodie curavit divinus ille Medicus ab infirmitate sua: cùmque descendisset de monte, *Ecco leprosus veniens adorabat eum, quem sine mora verbo vitæ à contagiosa lepra sanavit. Et extendens JESUS manus tetigit eum dicens: volo mundare, & confestim mundata est lepra ejus.*  
Ginther Unus pro omnibus. X c Su-



Paulus de  
Pal. in  
Matth.

Supra quod egregiè Paulus de Palatio: *In hoc verbo: volo, inquit, commendat Christus charitatem suam, quia leprosis mortuus est transferens in se lepram nostram; unde nos reputavimus eum quasi leprosum.* Secundum, quem à paralyti curavit, erat servus centurionis, qui venit ad Christum: *Facet in domo paralyticus, & malè torquetur, ad quem mox benignissimus Jesus: Ego veniam, & curabo eum.* Ecce in domum Reguli venire noluit, ut sanaret filium ejus, quia dives, & potens erat, ad pauperculum autem ultrò venit. Ex quo patet, quòd omnibus, præsertim miseris cupiat esse saluti. Vide Considerationem CXVIII. Crux Domini nostri Jesu Christi miseris, & afflictis spes unica rebus.

### Dominica IV. post Epiphaniam.

*Et ecce! motus magnus factus est, ita ut navicula operiretur.*  
Matth. 8.

Wen. Bedal.  
3. in Luc.

**R**estè Venerabilis Beda: *Navis crux Christi, quam cum Dominus ascendit, in ea dormivit, requies enim Domini crux, passio pulvinar.* Considera Jonam in navi dormientem, hic magnam Sacramenti Dominici imaginem præseferbat; etenim navis materia significavit crucem, somnus verò passionem. Ita S. Zeno. Et nunquid *exiguo ligno, ait Sapiens, credunt homines animas suas, ac transeuntes mare per ratem liberati sunt?* Quod idem in præsentis proposito dicere possumus, videlicet, quòd, si quis in ligno S. Crucis mare præsentis vitæ enaviget, animam suam securissimè salvabit. Vide Considerationem XXXIV. Jonas Propheta in mare demersus insignis typus erat Christi patientis & crucifixi.

S. Zeno ser.  
de Jona.  
Sap. 14. v. 5.

### Dominica V. post Epiphaniam.

*Servi autem dixerunt: vis imus & colligimus ea? Et ait: non, ne fortè colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum.* Matth. 11.

**Q**uemadmodum aliquis in sua arte expertus Medicus, vel Chyrurgus ægrè se resolvit, si membrum aliquod à corpore humano debeat refecare, nisi illud membrum omninò sit corruptum, & reliquo corpori ac sanitati nocivum: ita summus Medicus, qui de se ipso ait: *non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus,* ad refecandam impiis vitam se non præcipitanter resolvit, sed ad tempus aliquod eandem tolerat: *expectat Dominus, ut mis-*



*miseretur.* Et nunquid legistis illorum duorum discipulorum Jacobi, & Joannis indiscretum zelum, qui videntes Samaritanorum insultum ad ignem de cælo evocandum se promptos offerebant, quibus autem Dominus: *nescitis cuius spiritus estis.* Sic & hodierni famuli apud Patrem familias de eradicandis zizaniis sollicitarunt: *vis imus, & colligimus ea?* Respondit: *non, ne fortè colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum.* Observat hic rectè S. Thomas, quòd saepe numero dissimulare expediat, ne major ignis accendatur; & Hugo Cardinalis: *pro pace Ecclesie aliquando tolerandi sunt mali.* Vide Considerationem CXVI. Excitatur homo Christianus ad spem, & fiduciam in DEO collocandam ex contemplatione Christi crucifixi.

Luc. 9. v. 55.

S. Thom. in  
Matth.  
Hugo Card.  
apud Mans.  
Luc.

## Dominica VI. post Epiphaniam.

*Quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus.* Matth. 13.

**R**ectè mellifluus: *Verbum facile volat, sed non leviter vulnerat:* non ignorabis credo, undenam Monarchia Ottomannica, quæ est inter barbaras gentes floridissima, exorta sit? &c. ex variis Auctoribus, quòd ab unico verbo contumelioso à Ministro Catholici Imperatoris Heracliti inconsideratè prolato ortum suum duxerit; cum enim militibus Constantinopoli sua distribuerentur stipendia, thesaurarius Imperatoris Saracenis ex Arabia ad bellum adventantibus durè respondit: *se non habere panem pro canibus istis distribuendum.* Quod contumeliosum verbum omnium Saracenorum corda transfixit, ut subito conspirantes in Arabiam reversi sint, & sibi ducem Machometem elegerint. Hinc illæ lacrymæ, strages, & perditio. *Ecce quàm modicus ignis, quàm magnam sylvam accendit.* Ecce! quàm parvus lapillus ingentem statuam Nabuchodonosoris confregit, ac contrivit. Ecce effectum peccati venialis neglecti, vel contempti quæ quidem gravia vulnera non sunt, sed vulnuscula, quæ plura etiam mortem tandem conferre possunt. Quid levius puncturâ acûs? Et tamen S. Cassianum Martyrem ejusmodi puncturæ peremerunt. Vide Considerationem CXXXIII. Peccata etiam venialia deliberatè commissa, SS. cor Jesu crucifixi vehementer affligunt.

Jac. 3. v. 5.

Brev. Rom.  
13. Aug.

X C 2

Do-



## Dominica Septuagesimæ.

*Simile est regnum cœlorum homini Patrifamilias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam suam. Matth. 20.*

Gloss. Ord.  
hic.

**O**Mnes hodie ad vineam Domini invitantur. Pater iste familias, ait Glossa, Conditor noster est, qui habet vineam universalem Ecclesiam, quæ ab Abel usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot quot sanctos protulit, tot palmites misit; hinc exiit manè (exire DEI est operari ad extra) prima hora, hoc est ab Adam usque ad Noë. Circa horam tertiam à Noë usque ad Abraham. Circa sextam ab Abraham usque ad Moysen. Circa horam nonam à Moysen usque ad Adventum Domini. Observa hic cum Paulo de Palatio, in variis illis cœlestis Patrifamilias egressibus ingentem illius zelum, ac curam, qua vineæ suæ culturæ, & operariorum suorum laboribus ac industriæ promovendæ intentus erat; *varii enim à Christo patiente in amarissima ejus passione egressus facti sunt: exiit Christus manè in pratorium; hora tertia ad Herodis Palatium; hora sexta ad montem Calvarium; hora nona exiit spiritus ejus à vita ad limbum; hora undecima corpus ejus in sepulchrum.* Vide Considerationem CXXVI. Christus, & hic crucifixus sit nostrum quotidianum horologium ac perpetuum mobile.

Paul de Pal.  
hic.

## Dominica Sexagesimæ.

*Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est. Luc. 8.*

Salmeron  
hic.

**Q**uemadmodum DEI Filius, ut norat doctissimus Salmeron, simul Redemptor, ac Redemptio, simul lex & legislator, simul sacerdos & hostia dicitur: ita quoque Sator simul ac semen appellatur. Exiit divinus hinc sator non locò, ait Theophylactus; *nam ubique est, sed secundum illud, quod propior nobis factus est per carnem.* Exiit à sinu Patris, & venit in mundum, ut agrum Ecclesiæ cœlesti semente fecundaret; ipse erat granum frumenti cadens in terram & mortuum, ipse suo sudore, ac sanguine agrum irrigavit. Sed quid audio? Horreo, & obstupesco! quid ais sacer Evangelista? *Cecidit secus viam, & conculcatum est? Ubi? Quando? Apud quos tanta impietas? R. Paulus de Palatio: Cum audit, & ridet, tunc verè sementem conculcat; quia Verbum (Incarnatum & crucifixum) quod super caput statui debuerat, sub pedibus collocatur.* Vide Considerationem

Theophyl.  
hic.



nem LXXIX. Sanguis Christi patientis & crucifixi ab impiis proculcatus, & sicut aqua effusus, quid nobis insinuet?

### Dominica Quinquagesimæ.

*Tradetur gentibus & illudetur, & flagellabitur & conspuetur:  
& postquam flagellaverint, occident eum. Luc. 18.*

**M**ysteriosa locutio est S. Pauli Apostoli de Christo Domino orbis Redemptore ita scribentis: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* - Quid ais magne gentium Doctor? an Christi copiosa redemptio solum prodest in remissionem præcedentium delictorum, & non etiam in remissionem subsequens? Nonne fide certi sumus, quod si mille mundi forent, & quilibet millies scelerator istò, divini Filii sanguis in passione effusus, imò unica illius guttula sufficiens esset & superabundans ad extinguendum hunc omnem peccatorum reatum? Ita omnino est. Cur ergo Apostolus de præcedentibus tantum, & non æquè de subsequens peccatis mentionem facit? Percipite AA. responsionem zelosissimi Josephi de Barzã: ideò Apostolus de præcedentibus solum delictis loquitur, quia impossibile judicavit unicum adhuc peccatum in orbe commissum iri, postquam mundus oculis vidit cruentum spectaculum Filii DEI propter peccata nostra in crucem suspensi. O mi sancte gentium Apostole, quid obsecro nunc diceres, si videres hoc bacchanaliorum tempore omnis generis vitia plenis furiis bacchari? Non frustra hodie Ecclesia Evangelium legit de passione Dominica, quia hæc passio nunquam magis, quàm his diebus contemnitur, & renovatur. Vide Considerationem LIII. Peccator, quantum in se est, de novo Christum Filium DEI in crucem agit.

Ad Rom. 3.

Jof. de Barz.  
ser. 4. n. 28.

### Dominica I. Quadragesimæ.

*Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Matth. 4.*

**B**enignissimus mundi Salvator, cum in ultima cœna unà cum suis discipulis recumberet, Judam Iscariotem proditorem suum nomine *diaboli* denotavit: *unus ex vobis diabolus est.* Et ecce! rem miram! finita cœna præcingit se linteo, coram Juda incarnato hoc diabolo in genua prolabitur, eique pedes lavat. Hic subsisto, & quæro admirabundus: cur ergo DEI Filius in hodierno Evangelio recusat dæmoni tentatori genua flectere, qui in præmium hujus adgeniculationis ei omnia regna mundi appromisit? Cur

Joan. 6.



S. Petrus  
Chrysol.

Judæ diabolico impostori, & non æquè diabolo hoc honoris genus exhibet? S. Petrus Chrysológus: *contemplare Divinitatem genuflexam ante demonem, ut animam Judæ lucrificaret.* In hodierna tentatione agitur de omnibus regnis mundi, in ultima cœna autem agitur de anima Judæ: unica verò anima plùs valet, quam omnia regna mundi. Mundum univèrsum DEUS sex dierum spatio condidit; sed pro anima triginta tribus annis laboravit. Vide Considerationem LXXXIX. Christus patiens, & moriens in cruce Sacerdotes omnes monet, qualem animarum zelum habere debèant.

## Dominica II. Quadragesimæ.

*Domine bonum est nos hic esse.* Matth. 17.

Didacus  
Stella in  
Luc. c. 9.  
Lyran. in  
Math.

SANCTI PP. ac interpretes varias assignant rationes, cur Christus Dominus, qui ignominiam crucis, ut ait Theophylactus, toti mundo ostendit, gloriam transfigurationis tantùm tribus, & quidem his tribus in individuo, nempe Petro, Joanni, & Jacobo exhibere voluerit? Præcipuè invenio geminam hujus rei rationem. Primam assignat devotissimus Didaeus Stella: *quia hi tres erant visuri Christum tremebundum in horto, & ne tunc scandalizarentur in eo per carnis infirmitatem, ostendit modo gloriam suam, ut non diffidant.* Alteram rationem adducit doctissimus Lyranus; *ut sic animarentur ad sequendum Christum in acerbitate passionis.* Ecce! particeps nemo est gloriæ Dominicæ, nisi particeps & sit passionis. O anima Christiana! ad te loquor, quæ in persecutionibus, & adversitatibus amaritudinem passionis degustas! Ignosce, non possum te adducere ad montem Thaboræum, sed adducam te ad montem Golgothæum, ubi ex ignominia Christi non minùs quàm ex gloria Christi sat virium hauriripotes ad adversa generosè perferenda. Ita animat te S. Franciscus Salesius: *Statuamus æquè tam in monte Calvaria, quàm in Thabor dicere: Bonum est me tecum esse Domine; sive in cruce moriaris, sive gloriârefulgeas.* Vide Considerationem LXXXII. Christus crucifixus DEUS totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

S. Franc.  
Sales. Phil.  
P. 4. c. 13.

## Dominica III. Quadragesimæ.

*Si in digito DEI ejicio demonia, profectò pervenit in vos regnum DEI.* Luc. 11.

SISARA Princeps regis Jabin, cùm è prælio profugus ad Jabelem uxorem Haber Cinæi in domo diverteret, & somno indulgeret; ecce! illa clavo & mal-



malleo armata, ingressa absconditè, & cum silentio posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussimque malleo defixit in cerebrum usque ad terram. Sifara, ait Cornelius, diabolus repræsèntat, ille olim tam magnus, tam potens princeps tenebrarum, nunc infirmus & quasi clavo confixus jacet. Audiamus S. Augustinum: *quæ est ista mulier plena fiducia hostis tempora ligno transfigens nisi fides Ecclesia cruce Christi regna diaboli perimens?* Hæc crux Christi est ille digitus DEI ejiciens dæmonia, exaltans regnum DEI, & interficiens dæmonem illo ipso clavò, quo manus Christi Domini cruci affixæ sunt. Ita loquitur S. Leo: *Clavi illi, qui manus Domini, pedesque transfoderunt, perpetuis diabolus fixere vulneribus, & sanctorum pœna membrorum inimicorum fuit interfectio potestatum,* Vide Considerationem CXXIV. Signum SS. Crucis fortissimum amulectum est contra dæmones infestantes & prælligias eorum.

Jud. 4. v. 21.

Cornel à  
Lap. hic.S. Aug. l. 12.  
contr. Faust  
c. 33.S. Leo serm.  
10. de Pass.

## Dominica IV. Quadragesimæ.

Distribuit discumbentibus. Joh. 6.

Cum in Capitulo Generali Ordinis Minorum aliquando nihil esset edulii, fratres pleni fide dixerunt: *Eamus, & omnipotentem deprecemur DEUM, qui 5000. hominum in deserto satiavit: neque enim nunc minoris est potentia, aut misericordia, ut de ejus desperemus bonitate.* Perstiterunt ita in oratione, & ecce horâ prandii jussit S. Franciscus fratres in refectorio discumbere. Quod dum faciunt, viderunt ingredi in triclinium viginti adolescentes egregios, succinctos, & expeditos ad serviendum, qui & ministrârunt panem, vinum, & omne genus obsonii necessarium recumbentibus numerò quingentis. Finito verò prandio, inclinato capite, & salutatis fratribus bini suo ordine exierunt è refectorio admirantibus fratribus, & laudantibus DEUM pro tanta in se providentia. Simile quid legitur etiam in vita S. Dominici, qui, cum aliquando domi nihil esset cibi, jussit fratres mensæ accumbere, illique benedixit: & ecce! ingressi duo angeli specie elegantium juvenum singulis fratribus numerò centenis singulos candidissimos panes apposuerunt, unus à dexteris, & alter à sinistris, & submissis capitibus disparuerunt. Quid dicam de S. Joanne Eleemosynario, de Sanctulo Presbytero, de Hadriano II Pontifice, de S. Lydvina Hollanda, aliisque, quibus tum panes tum peculium tantò largiùs à DEO fuit multiplicatum, quantò illi in pauperes fuerunt profusiores. Ex quibus omnibus luculenter apparet illud Davidicum: *Oculi ejus in pauperem respiciunt;* nam turba hæc numerosa, quam mirabiliter auctis panibus hodie Dominus pavit, in men-

Annales  
Minorum  
Lucæ Wad-  
dingi Anno  
1219. n. 11.Vita S. Do-  
minici l. 3.  
c. 4.  
Leont. in  
vit. S. Joan.  
Eleemos.  
S. Greg. di-  
al. 37.  
Surius in  
vit. S. Lydw.  
in April.  
Pl. 10. v. 5.

te



Dionys. Carthuf. in Joan. te Dionysii Carthusiani ut plurimum pauperes & egeni fuerunt. Vide Considerationem LX. Christus per omnem vitam pauper, sed in cruce pauperissimus fuit, unde summum est pauperum ac miserorum solatium.

### Dominica Passionis.

*Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se. Joan. 8.*

DEFENDUNT communiter Theologi cum Suario, Vasquio, ac aliis, quod Christus DEI Filius ab æterno Patre præceptum, & quidem rigorosum habuerit ad subeundam mortem: hoc non obstante erat adhuc liber ad eligendum qualecunque mortis genus; quia per quamcunque mortem verificari potest illud Apostoli: *Factus est obediens usque ad mortem.* Dum igitur hodierna die Judæorum durities templo fecit crudelitatis theatrum, id est, dum Jesum, quem intelligere non poterant, lapidibus obruere querebant, prout loquitur S. Gregorius; opportuna se obtulit occasio sub lapidum ictibus moriendi, & præcepto divini Patris satisfaciendi. Sed ecce! *JESUS abscondit se.* Quare? An fortè timore mortis? R. Albertus Magnus: *Non timore mortis, quia crucifixoribus occurrit.* An fortè ex impotentia resistendi? Respondet idem: *Neque in potentia resistendi, quia uno verbo infernum omnes præcipitare potuit.* Quæ ergo causa subest, quod orbis Redemptor lapidationis mortem subterfugiat? Audiamus Angelicum Doctorem: *Quia non elegerat hoc genus mortis, sed potius in ara crucis voluit immolari: non lapides, sed lignum voluit suæ mortis esse instrumentum.* Vide Considerationem LIV. Cur Christus Dominus ad redimendum orbem non aliud remedium, quàm mortem crucis elegerit?

S. Gregor. hom. 18.  
S. Albert. M. apud Mansi hac Dom.  
S. Thom. in Joan.

### Dominica Palmarum.

*Turba autem quæ precedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna Filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Matth. 21.*

JOSEPHUS Prorex Ægyptius è carcere ad regale Solium promotus est. Et ecce! amantissimo parenti Jacobo de hac promotionis felicitate nullum nuntium misit: ita expressè sentiunt S. Augustinus, & doctissimus Pererius. Ecce optimum Patriarcham tantâ lætitiâ privavit? Superfedeo hic proferre diversissimas rationes SS. Patrum ac interpretum, & solum illam in me-

Gen. 42.  
S. Aug. ser. 32. de temp. Pererius in Gen. c. 42.



medium adduco, quam zelosissimus de Barzia insinuat. Prudentissimus Joseph satis noverat Ilylum, & instabilitatem mundi hodie applaudentis, cras persequentis: ideo merito metuebat, ne antequam nuntius per trecenta miliaria ad Patrem (tanto enim spatio aberat) pertingeret, ipse de throno in carcerem descendere juberetur, veluti antea de carcere ad thronum ascenderat. *Omunde proditor*, exclamat S. Augustinus -- *promittis florem, & cito evanescit!* hanc scenam hodie luculenter videmus exhibitam in Christo Domino: audire juvat S. Bernardum. *Nunc quidem processionis gloria, & divinis est laudibus honestatus; postmodum vero interrogatus, contumeliis, & tormento, & cum sceleratis est deputatus. O quam dissimile fuit: tolle tolle crucifige: & Benedictus qui venit in nomine Domini. Quam dissimile! Rex Israël: & non habemus Regem nisi Casarem.* Felix igitur qui contemptis mundi blanditiis suam felicitatem tali fundamento inædificat, quod fallere non potest. Vide Considerationem LXXVIII. Christus in cruce despectus docet nos omnia terrena despiciere, & solum DEum pura mente lectari.

Jof. de Barz.  
ser. 14. n.  
19.

S. Aug. ser.  
3 1. ad frat.

S. Bern. ser.  
1. de ramis  
palm.

### Feria V. Cœnæ Domini.

*Hoc facite in meam commemorationem.*

CHRISTUS Dominus tam à coronato Psalce, quam ab Apostolo vocatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: igitur non tantum cruento Sacrificio in cruce sed modo etiam incruento sacrificaverit necesse est; quia Melchisedech nunquam cruentam, sed solum incruentam oblationem in pane & vino fecit. Quæris ubi Christus incruente sacrificaverit? R. Cornelius à Lapide, in ultima cœna, cum scilicet Eucharistiam sub specie panis & vini obtulit. Vide Considerationem CXII. Perpetuum altaris sacrificium idem est cum sacrificio aræ crucis, non tantum in repræsentando, sed etiam in essendo.

Cornel. à  
Lap. in Gen  
c. 14. v. 18.

### Feria VI. Parasceves.

*O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Thren. 1.

SI Passio Domini nostri JESU Christi nova esset historia heri facta, nunc totus mundus admiratione plenus esset: sed quoniam ritum quid est, ac sapius auditum, ideo dici de illa potest, quod S. Augustinus de beneficiis DEI loquitur: *affiduit ut viluerunt.* Hinc tam innumera peccata, quia

S. Aug. tr.  
24. in Joan.

Ginher Unus pro omnibus.

)( d

pauci



pauca sunt, qui recogitant corde, quid DEI Filius passus sit ad abolenda peccata: sanctior esset mundus, nisi populus meus oblitus est mei diebus innumeris. Quamobrem clamabo hodie illud Prophetæ: attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus, id est, pro viribus explicabo enormia tormenta Filii DEI, quæ passus est in quinque præcipuis passionis mysteriis. Vide Considerationes, primò XLIII. Crux in monte Oliveti Christo proposita, torcular fuit, quod ante tempus ei sanguineum expressit sudorem. Secundò XLIII. Crucifigendi olim prius acerbè flagellabantur, quod & Christo Redemptori nostro accidit. Tertio XLIV. Consideratur IESUS, quare spinis coronari voluerit, & in cruce cum eadem spinea corona mori. Quarto L. Christus sub ponderosa cruce corruens, pedibus impiorum conculcatur, & stimulis agitur. Quintò denique LV. De modo, quo piensissimus orbis Redemptor in cruce actus fuit.

### Dominica Resurrectionis.

*Pascha nostrum immolatus est Christus.* 1. Cor. 5.

**A**D celebrandam solennitatem Paschalem inter alias cæremonias olim Dominus DEUS Israëlitis præcepit, ut agnum anniculum integrum, & maculæ expertem quatuor diebus ante immolationem secernerent, & constanter ante oculos haberent, idque ex duplici præsertim ratione, prout innuit Cornelius, tum ut ad exitum ex Ægypto se pararent, tum ut ex aspectu agni haberent occasionem frequenter de sua redemptione sermocinandi. En Christiana anima! quarta abhinc dies est, qua Christus velut ovis ad occisionem ductus, excoriatus, & in cruce mactatus fuit, de quo S. Apostolus *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Tu intueere frequenter, & duplex emolumentum ex illius aspectu cape: primò exi de Ægypto, *Pascha enim transitur dicitur*, ait S. Ambrosius, *quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur.* Quæris ad quæ meliora? Audi S. Bernardum: *Pascha nostrum immolatus est Christus; amplectamur commendatas nobis in cruce virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam, & charitatem.* Secundò utere frequenter occasione de hoc agno immolato, & de tua redemptione sermocinandi: imò ego hodie utar, tu sedulo ausculte. Vide Considerationem XV. Agnus Paschalis, item matutinus & vespertinus typus fuit Christi IESU crucifixi.

Exod c 12.  
v. 3.

Cornel. à  
Lap. hic.

1. Cor. 5.

S. Ambr.  
hom. l. 2.  
S. Bern. ser.  
1. in die  
Paschæ.





## Feria II. Paschatis.

*Nonne hæc oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam?* Luc. 24.

**S**ANCTUS Augustinus Christum Dominum nobis proponit sub schemate mercatoris ita loquentis: Regnum cælorum venale habeo. Quid ais Domine? Regnum cælorum venale habes? Ita est! quo emitur? Respondet, paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vitæ æte gloria, morte vita. *O stulti igitur, & tardi corde ad credendum, quicumque cupitis aliâ moneta cælum emere, quàm meris crucigeris, seu crucibus, quibus ipse Christus DEI Filius suam sibi gloriam comparavit. Nonne hæc oportuit Christum pati & sic intrare in gloriam suam? Vide Considerationem LXXXXVII.* Christus crucifixus nos animat, ut crucem nostram alacriter feramus, si volumus gloriæ ejus esse participes.

S. Aug. in  
Psalm. 93.

Luc. 24.

## Feria III. Paschatis.

*Ostendit eis manus & pedes.* Luc. 24.

**A**NTIPATER Herodis Ascalonitæ frater, Cæsarianarum copiarum Dux, cum apud Cæsarem perduellionis accusatus in jus vocaretur, nihil in sui purificationem attulit, sed diruptis vestibus pectus multis cicatricibus, & vulnerum vestigiis deturpatum ostendit: quo viso spectaculo Cæsar exclamasse dicitur; *hæc non sunt signa proditionis, sed fidelitatis.* Hodie benignissimus Redemptor ostendit discipulis perforatas manus, ac pedes, ostendit sacratissimum pectus immani vulnere laceratum: Quid nos cum discipulis Domini viso hoc spectaculo exclamemus? An perduellionem nostram hæc nobis stigmata objiciunt, aut fidelitatem ac amorem DEI Redemptoris loquuntur? Vide Considerationem CXLV. Cur Christus Dominus etiam post gloriosam suam Resurrectionem quinque SS. vulnera voluerit conservare?

Michaël à  
Calvo.  
conc. 44.  
assumpt. 3.

## Dominica I. post Pascha.

*Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Joan. 20.

**Q**UOMODUM cera ad ignem, nives ad solis ardorem resolvuntur: ita cor Apostoli Thomæ, quod obstinacia incredulitatis obduruit, tactu SS. vulnerum colliquefactum est. Rectè exclamat devotissimus Joannes Busæus. *O quomodo arsis cor Thomæ, cum mitteret manus in eam arden-*

Joan. Bus.  
in Anchiid.

X d 2

sem



piar. med.  
in Oct.  
Pasch.  
S. Bonav. de  
figm. c. 4.

tem fornacem & ideo in genua mox lapsus eum adoravit! & S. Bonaventura: O vulnera corda vulnerantia, & mentes congelatas inflammantia, & peccora adamantina liquefacientia! Vide Considerationem CXIV. Devotus aspectus & contemplatio SS. quinque vulnerum crucifixi Domini quemlibet peccatorem ad frugem debet reducere.

### Dominica II. post Pascha.

*Animam meam pono pro ovibus meis.* Joan. 10.

Ezech. 34.

**D**E Christo Domino intelligendum est illud Ezechielis vaticinium: *suscitabo super eas (oves meas) pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David* (puta Christum Davidis filium) *ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.* Hinc olim pingebatur, ut pastor humeris suis ovem bajulans, uti adhuc videre est in picturis antiquissimis, quæ extant in Basilica Lateranensi in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiiani, in cœmeteriis S. Priscillæ, S. Laurentii, S. Sebastiani &c. Et verò Christus solus gaudet titulo pastoris optimi, & præstantissimi; quia solus Christus, ait Jansenius, potuit ponere, id est, deponere animam suam, sicut enim è manibus persequentium se liberare potuisset, si voluisset, ita spiritum suum emisit potestatem habens illum vel emittendi prius, vel retinendi diutius. Verè bonus Pastor! Vide Considerationem LXXX. Christus in cruce verè Pastor bonus, pro ovibus suis dedit animam suam.

Cornel. à  
Lap. in Jo-  
an. c. 10. v.  
11.  
Jansen. ap.  
Mansi hic

### Dominica III. post Pascha.

*Sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joan. 16.

S. Chrysoft.  
hom. 78 in  
Joan.  
S. Thom.  
Villanov.  
ap. Speran.  
punct. 26.  
de pas.  
Dom.  
Actor. 5.

**N**emo invidet mundo suum gaudium, quod paulò post vertetur in tristitiam: præstat enim jam modicum tritari, & demum cum Christo æterno gaudiò frui. Hinc divinus Magister hodie præmonet discipulos: *Amen amen dico vobis, qui plorabitis, & flebitis.* Quæro, de quo ploratu & fletu loquitur? R. S. Chrysoctomus: *mortem, & crucem significabat.* O felices Apostoli! maesti animis estote, pellite omnem tristitiam! quia servis DEI crux blanda, crux dulcis, crux suavis & delitiosa, crux non crucians sed oblectans est, ait sanctus Thomas de Villanova; experiemini hanc veritatem, quando suo tempore ibitis gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti estis pro nomine Jesu contumeliam pati. Vide Considerationem LXXXV. Ex consideratione Christi Jesu crucifixi omnia adversa æquo animo nobis sunt perferenda.

Do-



## Dominica IV. post Pascha.

*Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quò vadis?* Joan. 16.

**Æ**Terna Veritas Christus dilectos suos discipulos in ultima cœna inter alia commonuit: *ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Ubi singulariter consideranda venit illa particula comparativa *sicut*: quærit enim hic doctissimus Olearter: dic nobis bone JESU, quomodo tibi Pater disposuit regnum tuum? Et mox respondens ait: per calicem passionis & crucem. Hæc scala est, qua DEI Filius ascendit in regnum Patris sui. Tu Christiane *quò vadis?* Respondes quidem, ad cœlum vado, finem meum ultimum ad quem creatus sum: & rectè ais? sed ne præsumas, alià viâ te illuc ascensurum, nisi scalâ crucis. Vide Considerationem X. Crux dominica est scala Jacob, & secuta animæ Christianæ ad cœlum semita. Luc. 22. 7.  
20.

## Dominica V. post Pascha.

*Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*  
Joan. 16.

**D**E Mollofcitis barbaro aliâs populo memoriæ proditur, quòd si à Rege suo gratiam quandam impetrare voluerint, regium principem in ulnis gestare, & sic sub conspectum regis venire assueverint: Rex intuitu dilecti filii vix quidquam supplicabundis denegare poterat. Christianæ animæ! en illuxit nobis denuò septimana, ut vocamus precatória: Christus ipse nos animat: *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quid agimus, ut nostræ preces suo effectu non frustentur? DEI Filium non licet quidem manibus gestare, sed licet manibus imitari: agite, ego vos efficacem hodie orandi methodum edocebo. Vide Considerationem LXI. Christus extensis in cruce manibus orans, exemplum nobis præbet, quod salubriter imitemur. Joan. 16.



X d 3

Do-



## Dominica infra Octavam Ascensionis Domini nostri JESU Christi.

*Ille testimonium perhibebit de me, & vos perhibebitis.*

Joan. 15.

Quando amantissimus parens ex hac vita migrat, certè orphanis & derelictis filiis hoc unicum solacium superest, si fidelem tutorem, & bona paterna vi testamenti adipiscantur. Christianæ animæ! migravit à nobis Christus amantissimus Pater, in cœlum abiit; & ecce pro sua paterna sollicitudine assignat nobis fidelissimum tutorem *Spiritum Veritatis*. Assignat nobis bona sua per ultimum testimonium seu testamentum: ego explicabo, quid Christus Dominus nobis testamento reliquerit. Vide Considerationem XXVIII. Dulcis Jonathas insignis typus dulcissimi JESU, denudati, crucifixi & in cruce mortui.

## Dominica Pentecostes.

*Paracletus autem Spiritus sanctus, ille vobis docebit omnia.*

Joan. 14.

2. Cor. 2. **S**anctus Apostolus Paulus de se ipso fatetur: *non judicavi me aliquid scire nisi JESUM Christum, & hunc crucifixum.* Mira dictio! an ergo gentium Doctor non habuit pro Magistro Spiritum Sanctum, qui eum docuit *omnia*? Omnino habuit: cur ergo dicit se nihil scire, nisi JESUM crucifixum? & quia qui JESUM crucifixum scit, *omnia* scit: hinc instruxit suos Corinthios *in una cruce esse gloriandum*, ait Cornelius. Inhient alii scientiis, arti eloquentiæ, Philosophiæ, Medicinæ, Mathesi, Theologiæ: sed Apostolo Christus crucifixus est liber *Unus pro omnibus* sufficiens, in quo didicit *omnia*. Vide Considerationem CLVIII. Christus crucifixus est Bibliotheca nostra, & liber scriptus intus & foris ab omnibus legendus.

Cornel à  
Lap. hic.

## Feria II. Pentecostes.

*Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Joan. 3.

Cornel. à  
Lap. in Jo-  
an. 3.

**N**otat hic singulariter Cornelius à Lapide, quòd singula Christi verba hic habeant magnam emphasin, & emphaticè exaggerent amorem DEI: pri-



primò enim ait, *sc*, id est, tantà amoris vehementia, conatu, excessu. Secundò, non Rex, non Cæsar, non Angelus, sed *DEUS*. Tertiò *dilexit*, scilicet prior, & gratis, sine merito, imò sine desiderio nostro. Quarto *mundum* sibi contrarium, hostem & reum damnationis. Quintò, ut non hominem, non Angelum, non mundum alterum sed *Filium*; non alienum, non adoptivum, sed *suum* proprium, ac naturalem, eumque non unum è multis, sed *unigenitum*, & unicum. Sextò non venderet pretio, non mutaret, sed *gratis daret*, non ad regnum, & triumphos, sed ad mortem, & crucem. Septimò id fecit non sibi, non Christo fructum aliquem quærens, sed ut ipse nos, id est, creator creaturas suas sua morte vivificaret, suâ humilitate exaltaret, sua exinanitione, æternâ gloria, opibus & bonis immensis cumularer. Hæc Cornelius. Vide Considerationem IX. Consideratur in typo Abrahami & Isaac amor æterni Patris filium suum unigenitum in mortem crucis tradentis.

## Feria III. Pentecostes.

*Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.*

Joan. 10.

POSTquam divinus orbis Redemptor in cruce expiravit, ecce! *unus militum lanceâ latus ejus aperuit*. Hic oritur quæstio; cum Christus Dominus insatiabile desiderium plura ac plura patiendi ostenderit, ita ut in cruce exclamârit, *Sitio*, non tam desiderio bibendi, quàm desiderio plura adhuc patiendi, ecurr immâne pectoris vulnus non vivò, sed primùm mortuò corpore recepit? Quæstioni huic satisfacit S. Augustinus aliâ quæstione: interrogat, quale discrimen sit inter vulnus, quod vivo corpore recipitur, & inter illud, quod mortuo corpore? Sibi que respondet, hoc esse discriminis, quòd vivo corpore receptum vulnus sanari adhuc possit, non verò vulnus in mortuo corpore receptum: hoc insanabile est. Cum igitur vulnus lateris in Christo ostium esse debuit, quo peccatores in amantissimum cor suum admitteret, mortuo corpore hoc vulnus accepit, ut esset insanabile, semper patens, & apertum. Audiamus doctissimum Sylveiram: *Christus voluit lateris vulnus semper patens & apertum, ut in illo nosmetipsos reciperemus, ut ibi subsidium & subterfugium in cunctis haberemus*. Hoc vulnus ostium est, per quod si quis introierit, salvabitur. O felix introiens! Vide Considerationem CXXI. Devotio erga SS. vulnera Christi Jesu crucifixi suadet omnibus Christianis, præsertim discipulis.

Joan. 19.

S. Aug. tr.  
100. in  
Joan.

Silveira ap.  
Barz. ser.  
10. n. 11.

Do-



## Dominica I. post Pentecosten.

*Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.*  
Luc. 6.

**S**i vetus, & novum testamentum confero, scenam prorsus inverſam video: olim Pater cœlestis austerus erat & terribilis: ubicunque peccatum sese erexit, statim omnia elementa in vindictam vocabantur: ignis incineravit Sodomam, & Gomorrhā, aqua suffocavit totum orbem terrarum: terra deglutivit Dathan, & Abiron: aëc pestifera lue intoxicavit 70000. hominum. Uno verbō, olim peccare, & puniri unum erat; hinc DEUS etiam affectavit titulos terrificos: *DEUS exercituum, DEUS ultionum.* Quid ergo causæ subest, quod nunc in novo testamento DEUS longanimis sit, & præstabilis super malitia? Ita quidem ut moneamur, erga proximos nostros misericordes esse, sicut Pater noster cœlestis erga nos misericors est. *Auscultate AA. hodie rationem dabo.* Vide Considerationem CLI. Rigidam Patris iustitiam Filius DEI pro nobis crucifixus in summam misericordiam mutavit.

Gen. 19.  
Gen. 7.  
Num. 16.  
2. Reg. 24.  
2. Reg. 5.  
Psalm. 78.


## Dominica infra Octavam Corporis Christi.

*Homo quidam fecit cœnam magnam.* Luc. 14.

**I**n arca fœderis quondam manna, & virga Aaronis asservabantur: *in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron qua fronderat.* Per manna secundum omnes ferè SS. PP. Sacramentum Eucharistiæ subintelligitur, quod in hodierno Evangelio per *cœnam magnam* proponitur. Per virgam Aaronis autem sacra Crux intelligitur, de qua S. Chrysostomus: *non aberraveris, si crucem Domini vocas virgam virtutis.* Quæres, quare manna, & hæc virga Aaronica in arca conjuncta fuerint? Ego tibi hæc doctrinam moralem eruo; quia non est devotior præparatio ad Eucharisticum epulum, quàm per considerationem crucis: hinc Christus ipse admonuit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Vide Considerationem XLI. IESUS CHRISTUS & hic crucifixus quomodo in SS. Eucharistiæ Sacramento sit considerandus?

S. Chrysoſt.  
orat. de  
Cruce.

Luc. 22. v.  
29.



Do-



## Dominica III. post Pentecosten.

*Hic peccatores recipit. Luc. 15.*

**Æ**Terna Patris sapientia de se ipsa affirmat: *delicia mea esse cum filiis hominum.* Et quare non cum Angelis? an ideo, quia non Angelorum, sed hominum naturam assumpturus erat? Respondet doctissimus Hugo nomine Chrilli: *Non reputo me aliquid habere in cælo habendo Angelicos spiritus, qui sunt quasi novem oves in deserto, nisi habeam ovem errabundam in exilio, id est peccatricem animam, hanc triginta tribus annis quæsit, hanc gaudens in humeros suscepit, sed ubi? S. Bonaventura ait: humeri isti sunt brachia crucis, in hos humeros ovem perditam imposuit, quia ibi peccata nostra portavit.* Vide Considerationem LXV. Christus in cruce pendens, peccatores recipit, sed in iudicio rejicit; attende hic tibi Lector prudens.

Prov. 8.  
v. 31.S. Bonav. in  
Luc. c. 15.

## Dominica IV. post Pentecosten.

*Relictis omnibus secuti sunt eum. Luc. 5.*

**S**Ponsa in Canticis instanter clamat ad sponsum: *trahere me post te.* Verum quid trahi opus est, & quasi vi rapi? Si serio affectat sequi sponsum, currat per se, viam habet expeditam, & vires. Nempe respondet S. Bernardus: *quàm pauci post te, Domine Jesu ire volunt, cum ad te pervenire nemo sit qui nolit &c. conregnare cupiunt, sed non compati.* Hodie piscantes Apostoli hanc laudem meruerunt, quòd *relictis omnibus secuti sint eum:* & quòd secuti sunt? Per cruces, adversitates, & martyria: tota enim vita Christi, ait S. Bonaventura, nil nisi mera crux fuit. Cupis & tu Christiane Christum sequi? Ausculta, instrua te. Vide Considerationem CLII. Quomodo homo Christianus Ducem ac Dominum suum crucifixum Jesum imitari possit, ac debeat.

Cant. 7.

S. Bern. ser.  
71. in Cant.S. Bonav.  
ser. 3. de  
pass.

## Dominica V. post Pentecosten.

*Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5.*

**I**N vita S. Joannis Eleemosynari Patriarchæ Alexandrini refertur, quòd dum hic servus DEI in procinctu Missam celebrandi constitutus recordaretur, Clericum quendam pravà erga se voluntate inclinatum esse, ipse, tamen il-

Leont. in  
vit. S. Joan.  
Eleemof.*Ginther Unus pro omnibus.*

) e

lum



lum non læserat, sed potius ab illo graviter offensus fuisset, ab altari discedens, eundem studiosè quæsierit, eumque inventum, sibi què perfecte reconciliatum secum ad altare perduxerit, ac læto animo recitarit verba illa: *Pater noster: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quæris, quæ causa sanctum Præsulem commoverit ad tam insignem sui victoriam? Dicam quod sentio: forsàn sanctus hic vir in accessu ad aram vidit crucifixum in altari stantem, qui utut innocentissimè ad mortem crucis damnatus, Patrem pro persecutoribus exoravit, qui què hodie nobis disertè præcipit, ut antequam munus ad altare feramus, prius fratri id est proximo reconciliemur. Ipse est exemplar mansuetudinis. Vide Considerationem LXXVII. Aspectus & consideratio crucifixi Jesu optimus est iræ & iracundiæ sedandæ Medicus.

### Dominica VI. post Pentecosten.

*Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me.*

Marc. 8.

Cæsar. Are-  
lat. hom.

25.

S. Chryf. ad  
Hebr. hom.

24.

S. Greg. l.  
22. mor. c.

6.

S. Hieron.  
ap. Speranz.

punct. 35.  
de pass.

Dom.

S. Bonav.

ser. in hac

Dom.

Quid prodest, si verno tempore segetes vireant, sed ante messem exarescant? ait Cæsius Arelatensis. Quid prodest, si nauta feliciter vela dat, sed ante portum naufragetur? ait S. Chrysostomus. Quid prodest, si viator multum spatium conficiat, sed à patria aberret? ait S. Gregorius. Labor omnis perditus est, quia finis deest. Hinc bene S. Hieronymus: *non quaruntur in Christianis initia, sed fines.* Quæ causa hodie benignissimum Salvatorem commovit ad miraculum? R. perseverantia; quia triduo in siti & inedia, in lassitudine & vigiliis sustinent Dominum: dicit enim S. Bonaventura: *illi impetrant beneficium à Deo, qui longanimiter, & perseveranter sustinent eum.* Vide Considerationem LXXXVII. Christus, licet multum à Judæis sollicitatus, non tamen descendit de cruce, ut nos doceret perseverantiam.

### Dominica VII. post Pentecosten.

*Omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit.* Matth. 7.

Mala erat illa arbor, quæ ad eò malos fructus peperit, ut immensa malorum congeries exinde in mundo excreverit. De illa arbore loquor, qua nostri protoparentes & se, & totum humanum genus pessumverunt. Sed ecce! immensam DEI bonitatem! huic malæ arbori per bonam arborem remedium dedit,



dedit, intelligo SS. crucem, de qua S. Augustinus: *contempsit Adam preceptum, accipiens ex arbore pomum, sed quidquid Adam perdidit, Christus in cruce invenit.* Per lignum perit genus humanum, per lignum revixit, ut unde mors oriebatur inde vita resurgeret. Vide Considerationem III. Christus Adamus secundus reparat in cruce, quod Adamus primus in paradiso destruxit in arbore.

S. Aug. ser.  
de Pass.

Eccles. in  
Præfat.

### Dominica VIII. post Pentecosten.

*Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.*

Luc. 16.

**R**Egius Psalmista David, si unquam aliàs, certe in Psalmo quinquagesimo septimo vehementer exandescit super malitiam hominum: *Furor illis secundum similitudinem serpentis.* Et paulò post loquens de supplicio, ac pœna ait: *DEus conteret dentes eorum in ore ipsorum molas leonum confringet.* Quæso quod peccatorum genus tangit hæc indignatio? R. Cardinalis Hugo: *moraliter dicitur de malis, maxime de detractoribus.* O detractio pessimum malum! quis hodiernum villicum ad desperationem, & ad injustitias adigit nisi diffamatio, & detractio? Audite igitur, quantum hoc malum sit? Vide Considerationem LXXXII. Lingua detractrix potissimum Christum Dominum ad ignominiosam crucis mortem promovit.

Psal. 57.

Card. Hug.  
hic.

### Dominica IX. post Pentecosten.

*Videns civitatem flevit super illam.* Luc. 19.

**N**Otat S. Bonaventura, quòd Christus Dominus ex sacræ scripturæ testimonio ter flevisse legatur: primò quidem quando Lazarum à mortuis suscitavit. Dein hodie, cum urbem Jerusalem intuitus est: & demum tertîa vice in cruce. Quando excitavit Lazarum fudit lacrymas amoris: *ecce quomodo amabat eum.* Quando aspexit urbem Jerusalem, fudit lacrymas compassionis, quia ut observat Lucas Burgensis, *Romani eodem in loco in montem Oliveti castra ponere, & eodem serè die proximo ante Pascha civitatem obsidere ceperunt, quo Jesus prædixit, ac deflevit visæ excidium.* Sed quæris fortasse quales lacrymas in cruce fuderit? Hoc in præsentiarum explicabo. Vide Considerationem LXXVI. Christus in cruce patiens amaris lacrymis nostram deplorat jacluram animarum. Et nos quid?

Joan. 11.

Lucas Burg.  
ap. Mansi.  
hic. Dom.

) ( e 2

Do-



## Dominica X. post Pentecosten.

*Omnis qui se exultat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Luc. 18.

Lyranus ap.  
Mani hac  
Dom.  
Ad Phil. 2.

Quemadmodum in trutina elevata una lance altera deprimitur, aut hac depressa altera elevatur: ita, ait Lyranus, in statera justitiæ divinæ decreverunt est, ut, qui se exaltant, humilientur, & qui se humiliant exaltentur. Cupis hujus stateræ divinæ habere exemplum? Audi Apostolum de Christo crucifixo: *humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem: & ecce! humiliationis præmium: propter quod & Deus exaltavit illum.* Tu sequere Christum humiliantem se, ut cum exaltato quondam in gloria exalteris. Vide Considerationem CXXVIII. Crucifixus Dominus typus summæ humilitatis, quam pro posse sequi debemus, & imitari.

## Dominica XI. post Pentecosten.

*Misit digitos suos in auriculas ejus, & exspuens tetigit linguam ejus, & suspiciens in cælum ingemuit.* Marc. 7.

Marc. 7.  
Matth. 9.  
Luc. 6.  
Luc. 8.  
Matth. 9.

Quid est, quod Christus Dominus in hodierno surdo & muto difficultatem quandam ostendit sanationis? Socrum Simonis febricitantem sola manûs apprehensione: leprosum adorantem solo verbo, *volo*: Paralyticum unica hac voce *surgere & ambula*: habenti manum aridam sola extensione manûs: Hæmorrhoidisam solo tactu fimbriæ: filiam Archisynagogi modico clamore à morte & ab infirmitatibus suis liberavit. Dum verò hodiernum surdum & mutum ad sanitatem revocat, aures tangit, exspuens linguam tangit, cælum suspicit, ingemiscit &c. Quid mysterii subest, quod orbis Redemptor difficultatem curationis ostendat? & per surdum & mutum hodiernum subintelligi peccatorem inveteratum, habituatam, & consuetudinarium: ita Dionysius Carthusianus: *præcipue consuetudo prava efficit mentem mutam & surdam.* Ejusmodi homines difficulter sanantur præsertim in vitiis carnis: divina virtute opus est, ut ad melius revocentur. Sed macte animo esto, quisquis hac ægritudine decumbis, hodie remedium dabo &c. Vide Considerationem CIX. Contra carnis tentationes nullum efficacius remedium, quam fuga ad crucifixum Jesum.

Dionysius  
Carth. ser.  
in hac Dom.

Do-



## Dominica XII. post Pentecosten.

*Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, & videns eum misericordiâ motus est. Luc. 10. v. 33.*

**D**Ivus Albertus Magnus totus occupatus in deprecandis encomiis hujus misericordis Samaritani. Jacuit in via nonnemo vulneratus, à latronibus spoliatus, sanguinis effusione languidus, à toto orbe derelictus, & quod ad malorum cumulum fecit, à Sacerdote, & Levita despectus. Et ecce! bonus hic Samaritanus Sacerdotem & Levitam in ruborem dedit, vulneratum benignè curavit, suis sumptibus ei de medicina prospexit. Quæris, quisnam sit iste Samaritanus? Sanctus Bonaventura non quidem in sensu litterali, sed allegorico respondet: *Persona subveniens ex misericordia rectè intelligitur Christus, quia Samaritanus interpretatur custos, ipse autem est, de quo in Psalmo: nisi Dominus custodierit civitatem. Et Isaias: custos quid de nocte. Hic venit secus vulneratum, quia in similitudinem hominum factus & in similitudinem carnis peccati, adhibuit medicinam. Vide Considerationem LXVII.* Christus in cruce liberalissimus docet nos, quomodo debeamus subvenire pauperibus.

Albert.  
Magn. serm.  
67. hic.

S. Bonav.  
hic.  
Psal. 126.  
v. 1.  
Isa. 21. v. 11.

## Dominica XIII. post Pentecosten.

*Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17.*

**I**Nter alias ceremonias, quas DEUS in veteri testamento ad emundationem leprosi exigebat, duo passeres offerri debebant: unus immolabatur, alter immolati sanguine tangebatur, ait Laurentus: *alium autem vivum tinget sanguine passeris immolati, & dimittet passerem vivum, ut in campum avolet.* En typum nostræ redemptionis! Christus DEI Filius in cruce mortem obiit, ut nobis vitam daret, suo sanguine nos aspergit, ut nobis libertatem filiorum DEI tribueret. *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, ipse tanquam passer immolatus est ad emundationem leprosi humani generis. Quæ cum ita sint, non miror, cur Christus Dominus occurrentibus hodie leprosis confestim sanitatem contulerit; suam enim in illis figuram aspexit. Vide Considerationem LXXXIV.* Christus crucifixus, ut abominandam peccatorum nostrorum lepram curaret, ipse leprosus factus est.

Levit. 14.

Lauret. verbo Passer.  
S. Ant. Pad.  
in Levit.  
c. 14.  
Isa. 53. v. 4.

) e 3

Do-



## Dominica XIV. post Pentecosten.

*Non potestis DEO servire, & Mammonæ. Matth. 6.*

Libel. Ex-  
ercit. S.  
Ignac.

Matth. 6.

SANCTUS Ignatius Loyola in aureo suo exercitiorum spiritualium libello inter alias meditationem proponit de duobus vexillis. In bipatenti campo ex una parte exhibet Luciferum nigricanti folio insidentem, & circum circa sequacium multitudine stipatum: ex altera parte Christum Dominum ad sui sequelam mansuetè invitantem. Ille voluptuosa mundi delectamenta, iste æterna cæli præmia sequacibus appromittit, uterque animas sub sua signa conducere satagit. Dic Christiana anima, cujus castra sequeris? An viam hanc rosis stratam, aut aliam spinis & crucibus oblitam eligis? Utrumque sequi haud potes: *nemo enim potest duobus dominis servire.* Age, quid moras nectis? Ejura Luciferum, Christum sequere: en! viam tibi monstrabo. Vide Considerationem LI. Christus præferens crucem, omnes fideles animat, ut & ipsi ferendo crucem suam sequantur.

## Dominica XV. post Pentecosten.

*Misericordiâ motus super eam dixit illi: noli flere. Luc. 7.*

S. Ambr. l. 5.  
comment.  
in Luc. c. 7.  
post ioh.

NE miramini Auditores grande beneficium resurrectionis huic juveni colatum, ait enim S. Ambrosius: ut ut ad tumulum jam iam ferebatur, tamen spem resurgendi habebat. Quare? *Quia ferebatur in ligno: feretrum figura erat vivificæ crucis: Christus tetigit feretrum manu, tetigit crucem suo sanctissimo corpore, quæ nisi nobis antè non proderat, tamen postquam Christus tetigit, proficere cepit ad vitam.* Quæ cum ita sint, cur Dominus matri lacrymas interdicit? *Noli flere?* & quia sibi reservare voluit has lacrymas amoris, quasi diceret: has lacrymas, O mulier, non juveni debes jacenti in feretro, sed mihi pendenti in ligno, non figuræ, sed figurato. Vide Considerationem CVI. Christus in cruce mortuus, & tot vulneribus transfixus piis lacrymis à nobis est deplorandus.

## Dominica XVI. post Pentecosten.

*Qui se humiliat exaltabitur. Luc. 14.*

S. Aug ser-  
10. de verb.  
Dom.

REË S. Augustinus: *cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Hinc Christus Dominus magnam fabricam constructurus nostræ redemptionis per omnem vitam humillimus fuit. In stabulo nascitur, & quidem noctu, ac à paupere ma-



matre: triginta annis delitescit: in regem eligendus in montem aufugit, gloriam suam in Thaboræ colle nube tegit, proditori pedes lavat: ab Herode pro stulto habetur: Barrabæ postponitur: & tandem inter latrones medius in cruce moritur. Eheu! abyssum humilitatis *DEUS* in paribulo. Unde *Ad Phil. 2. v. 9.* Apostolus: humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Sed ecce! humiliationis præmium! propter quod & *DEUS* exaltavit illum. Vide Considerationem CXLVI. Crux ignominiosa Christo Salvatori nostro summam causavit, & peperit gloriam.

### Dominica XVII. post Pentecosten.

*Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo.* Matth. 22.

**E**tiam si præceptum dilectionis nullum extaret, nemo tamen hominum esse deberet, qui *DEUM* non toto corde diligit: cum enim ex una parte ipse prior dilexit nos, ex altera parte testè S. Augustino, nulla est major ad amandam imitatio, quàm prevenire amando, quis est, qui *DEUM* diligere nolit? Quod si quæras, qua charitate nos dilexerit, audi Sanctum Thomam de Villanova hodierna Dominica ita disserentem: quod si de hac charitate dubitas, & qua te *DEUS* dilectione prosequatur ignoras, testimonia ejus credibilia facta sunt nimis. Testis crux, testes clavi, testes dolores, testes sanguinis inundantes fluvii, testis amara mors, & acerbissima, quam pro te sustinuit: & cum hac omnia patiat, videntur ei omnia pauca pro amoris magnitudine, adhuc enim majores & abundantiores, si possibile esset, expedit pro te dolores: graviores, longioresque sitit pro te angustias. Vide Considerationem CLIV. Christus crucifixus, prodigium amoris, requirit à nobis etiam nostrum reciprocum amorem.

*1. Joan. 4.  
S. Aug. l. 4.  
de catechizandis.  
S. Thom. de Villanov.  
conc. 3.  
Dom. 7.  
post Pent.*

### Dominica XVIII. post Pentecosten.

*Quidam de scribis dixerunt intra se, hic blasphemat.* Matth. 9.

**C**hristus Dominus per totam amarissimam Passionem de nullo dolore acerbius conquestus est, quàm de alapa sibi inflicta. Quæris quare? Sanctus Vincentius Ferrerius putat propter crudelitatem ministri infringentis: tanto enim furore, ac rabie divina in faciem percussit, ut Christum dentes

*Joan. 18. v. 22.  
S. Vinc. Ferr.  
ap. Speranz.*



de pass.  
Dom.  
punct. 2.  
S. Chrysoft.  
hom. 1. de  
incompr.  
Dei natura.  
Ven. Beda  
in Cant.

tes ferè omnes unà cum sanguine exspuere, & in terram retrò cadere compulerit. Sanctus Chrysoftomus arbitratur propter indignitatem alapæ secundùm se, utpote, quam etiam vilissima mancipia averfantur. Sed Venerabilis Beda huc aptiùs ad rem facit, dum per alapam blasphemias Christianorum subintelligens, ita ad DEum orat: da mihi, & omnibus, ut qui olivæ cæsus es colaphis Judæorum, non cædaris & modò blasphemis falsorum Christianorum. Ex quo pronum est conijcere, quantam hodie injuriam Christo intulerint nequissimi scribæ, dum eum blasphemiam arguebant: & hodie dum inferant blasphemantes Christiani. Vide Considerationem LXXXV. Crucifixo JESU super dolorem vulnerum ejus addiderunt blasphemantium linguæ, & adhuc addunt.

### Dominica XIX. post Pentecosten.

*Ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22.*

Ezech. 9.  
Hug. Card.  
Theodoret.  
Cornel. hic.  
S. Greg. l.  
22. mor. c.  
13.

**M**irabilis simul, ac terrificæ erat visio Prophetæ Ezechielis: levavit oculos, & ecce veniebant sex viri de via portæ superioris, qua respicit ad aquilonem, & uniuscujusque vas interitûs in manu ejus. Vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus (quasi notarius ait Divus Gregorius) porrò scriptor iste ubi accessit ad altare æneum præceptum accepit à Domino: *transi per mediam civitatem in medio Jerusalem, & signa Tau super frontes gementium & dolentium super cunctis abominationibus, qua sunt in medio ejus.* Paruit ille præcepto, & sex Angeli exterminatores secuti scriptorem, ubicunque in domibus aut plateis reperiebant hominem quemquam non notatum signo Tau absque commiseratione interfecerunt: *egressi sunt, & percutiebant eos.* Qui verò signati erant, misericordiam vitamque consecuti sunt. O felix lignum Tau, O crux tessera salutis! notâisset se hoc salutifero signaculo hodiernus conviva, certè in tenebras exteriores expulsus non fuisset. Vide Considerationem CXVII. Si vis evadere infernum, fuge, dum tempus est, ad crucifixum JESUM.





## Dominica XX. post Pentecosten.

*Abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus. Joan. 4.*

Quam diversa sunt hominum, & DEI judicia! Iugiter hic Regulus infirmitatem filii, & illius sanitatem instanter sollicitat, cum tamen hæc ipsa infirmitas & Regulo, & filio grande sit DEI amantis beneficium: Regulo quidem, quia si prosperè sibi omnia succederent, nunquam certe ad Christum venturus fuisset: venit enim ad Jesum *infirmitate filii, qui felicitate non venerat*, ait doctissimus Speranza. Filio autem, quia lectus ægrotantium est officina virtutum, & vitiorum repagulum, uti docet S. Augustinus: *quàm multi scelerati sunt, qui innocenter ægrotarent? vitia reciduntur ægritudine. Quanta demum bona exorta sunt ex hac infirmitate? credidit ipse, & domus ejus tota.* Quare age, Christiana anima, hanc conclusionem fac cum Regio Psalte: *benedicam Dominum in omni tempore*, sive in prosperis, sive in adversis, quia tam prospera, quàm adversa DEI beneficium sunt. Vide Considerationem CXXXIX. In omni cruce & tribulatione conformemus nos Christo crucifixo, eique gratias agamas, etiam pro adversis.

Speranza  
script. sc.  
lect.  
punct 43.  
S. Aug. etc.  
in Joan.

## Dominica XXI. post Pentecosten.

*Tradidit illum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Matth. 18.*

Postquam populus Israël turpissimo idolatriæ flagitio deliquit, aiebat Dominus ad Moysen in monte: *vade, descende, peccavit populus tuus.* Ecece confestim Moyses in genua prostratus advocatum agere, veniam precari, & DEI indignantis iracundiam pro viribus placare cœpit. *Dele me de libro quem scripsisti.* Postliminio de monte descendens primò idolum combussit, ac cineres populo epotandos dedit, deinde vocata ad se tribu Levi absque ulla commiseratione viginti tria millia gladio interfecit. Quid est quòd Moyses antea mansuetissimus, nunc ferocissimus, antea intercessoris, nunc lictoris munus exerceat? En typum illius, quod in hodierno Evangelio contigit! Christus Dominus, qui per hominem regem repræsentatur prius *miserus est servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei*, postea verò in gratum nebulonem *tradidit tortoribus, quoadusque redderet universum debitum*, Dominus verè misericors, & justus. Vide Considerationem LXX. In misericordia Christi crucifixi sperandum, ut tamen non obliviscamur justitiæ illius.

*Ginther Unus pro omnibus.*

X f

Do-



## Dominica XXII. post Pentecosten.

*Magister scimus, quia verax es, & viam DEI in veritate doces.* Matth. 22. v. 16.

**N**obilis quædam, ac ingenua mater peperit crudelem filiam: crudelis hæc furia jam innocentem matrem toto orbe persequitur, & eliminat. Quæris, quænam hæc mater sit? *Veritas odium parit.* Infelix veritas abesse jubetur à Principum aulis, eicitur è politicorum palatiis, corrumpitur in Judicum curiis, propulsatur è mercatorum tabernis, illibenter auditur è sacris pulpitis, ubique vapulat, ubique odio habetur. Hodie blandiuntur Pharisæi Christo Domino, quòd verax sit, & viam DEI in veritate doceat. Verùm fallacissimi nebulones! hæc ipsa veritas Christi vobis stomachum movet! Vide Considerationem XLV. Veritas à Christo semper defensa, & prædicata, eum tandem ad necem crucis promovit, ac condemnavit.

## Dominica XXIII. post Pentecosten.

*Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Matth. 9.

**A**Sa gravi infirmitate lecto affixus aromata, unguenta meretricia, & pigmentariorum artes in opem vocavit: nullis sumptibus pharmacorum pepercit, & tamen mortuus est: quare? *Quia in Medicorum arte confusus est.* Quod infelix iste Afa deliquit, adhuc hodie multi delinquant, in ægritudinibus suis ad unctiões, ad quintas essentias, ad arcana medica, aut sæpè omninò ad Ariolos, ad Pythonissas, ad Deum Accaron confugiunt. O quot ægrotis posset objici illud, quod olim S. Hilarion cæcipienti fæminæ objecit: venit illa cum lacrymis conquesta, quòd substantiam suam omnem in medicos expenderit, & tamen visum non receperit. Cui sanctus Vir: si dimidiam tantum partem expendisses in pauperes, *curasset te verus Medicus Jesus.* Benè igitur Hæmorrhøissa pro sanitate corporis, benè princeps ille pro vita filia Christo supplices fiunt. Vide Considerationem CLVII. Optimus animarum, imò & corporum Medicus est Christus Dominus, & hic crucifixus.

2. Paral. 16.

Speranz.  
scri. fe.  
lect. punct.  
27.

S. Hieron.  
in vit. Hilar.  
lat.

## Dominica XXIV. &amp; ultima post Pentecosten.

*Erit tunc tribulatio magna.* Matth. 24.

**P**ER hanc tribulationem magnam non ineptè intelligo horam peccatricis animæ ultimam, & ut hanc tribulationis ac desolationis magnitudinem graphicè tibi ante oculos ponam, utar descriptione Sancti Petri Damiani, qua de mor-



morte peccatricis animæ ita differit: pensandum est, cum jam peccatrix anima vinculis incipit carnis absolvi, quàm amaro terrore concutitur, quantis mordacis conscientie stimulis laceratur. Recolit vetita, quæ commisit, videt mandata, quæ negligenter implere contempsit, dolet indulta pœnitentiæ tempora sese inaniter percepisse, plorat immobilem districtæ ultionis articulum sibi inevitabiliter imminere. Manere satagit, ire compellitur. Recuperare vult perdita & non auditur. O si residuum pœnitentiæ tempus mereri posset, quam duræ conversationis iter arriperet; quantis se devotionum vinculis innodaret! interea dum hebescentes oculi contabescunt, dum pectus palpitat, dum raucum guttur anhelat, dentes paulatim nigrescunt, & quandam velut rubiginem contrahunt, pallefcunt ora, & membra cuncta rigescunt. O peccatrix anima quanta hæc erit desolatio, quanta tribulatio, præsertim si amicum in illo articulo unicum, quem manibus tenebis, Crucifixum tibi ob perpetrata scelera infensum recorderis? Vidè Considerationem CXLVIII. Mala fors, pessima mors illorum, qui Christum & hunc crucifixum non amarunt, non honorarunt in vita sua.

S. Pet. Dam.  
ap. Spe-  
ranz script.  
fel. punct.  
132.



## INDEX CONCIONATORIUS

ad Festa totius Anni.

### Pro Festo S. Andreae Apostoli.

*O bona crux! jam diu desiderata, & concupiscenti animo preparata. Ex vita.*

**P**Hocion illustri genere prognatus, unà cum Thudippo plebeio homine morti innocentes adjudicati sunt. Primus ille intrepido ac lætabundo vultu venenum ori admovit: alter verò expalescere, trepidare, & in gemitus effundi. Ad quem conversus Phocion: *non sat tibi est*, inquit, *cum Phacione mori?* Quasi diceret mortem servi solatur mors eadem Domini. Ne miramini igitur Auditores, quòd S. Andreas crucem exultabundus salutarit. *O bona crux! jam diu desiderata, & concupiscenti animo preparata, securus & gaudens venio ad te.* Quippe summo sibi solatio ac honori duxit, eandem cum Christo posse mortem oppetere. Vide Considerationem CXLIV. Felix fors, beata mors obdormire in gratiosa umbra crucifixi Jesu Salvatoris nostri.

Pet. Bessæus  
hoc festo.



( f 2

Pro



## Pro Festo S. Nicolai Episcopi.

*Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Matth. 24.*

S. Greg.  
hom. 9. in  
Ev.

**P**ER quinque talenta huic seruo concredita S. Gregorius in sensu morali *donum quinque sensuum intelligit*. Superlucatur autem alia quinque talenta, quisque quinque sensibus rationabiliter uti, aut eos per mortificationis studium compescere, & debellare satagit. Qualiter fecit S. Nicolaus, qui oculis ad commiserationem pauperum, auribus ad exaudiendos gemitus pupillorum, linguâ ad ædificationem proximi, manibus ad elargiendas egenis elemosynas &c. usus est. Sciebat etenim quanto labore constiterit Christo bellum adversus hos quinque animæ hostes. Vide Considerationem XXIV. Josue pugnans contra quinque reges, typus Christi in cruce contra quinque sensus pugnantis.

## Pro Festo S. Thomæ Apostoli.

*Affer manum tuam, & mitte in latus meum. Joan. 20.*

Cant. 2.  
S. ern. cr.  
62. in Cant.

**Q**Uemadmodum columba accipitris insidias passa in foraminibus petrae refugium, ac securitatem quærit: ita fidelis anima infernalis mali fraudibus exagitata ad divini pectoris vulnus tanquam asylum tutissimum recurrit. Hinc caelestis sponsus invitatur dilectam: *veni columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceria*. Supra quæ verba mellifluus Doctor: *ubi vita, securaque securitas, & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? In his se columba tutatur, & circum volitantem intrepida intuetur accipitrem*. Huc confugium quæsit S. Thomas, dum infidelitatis tentatione turbaretur. Vide Considerationem CXXXVI. Invitantur omnes Christiani, ut in vita, & in morte recurrant ad SS. vulnera Christi crucifixi.

## Pro Festo Nativitatis Domini nostri JESU Christi.

*Gloria in altissimis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2.*

Gen. 9. v. 13

**S**I post pluviosam ac diu turbidam tempestatem pulcherrima iris in aëre resplendet, merito lætatur orbis, quia ex hoc cœlesti arcu conjicit tandem post nubilosa tempora optatam serenitatem reductam iri, ita lætatus est Noë, postquam elapsis centum quinquaginta diebus aquas diluvii decrescere, & arcum versicolore in signum fœderis in nubibus relucere conspexit. Christianæ



flianæ animæ! universus orbis ad quadraginta circiter sæcula sub hæreditariæ labis cataclysmo ingemuit: nubilosum ac turbidum erat cælum, & mille pestibus obferatum. Et ecce! hodie annuntiatur *pax hominibus bonæ voluntatis*. Apparet in signum fœderis arcus cœlestis nempe DEI Filius incarnatus in Babulo Bethlehemitico. Vide Considerationem VII. Arcus cœlestis Noëmo post diluvium ostensus, typus elegans Christi JESU crucifixi.

### Pro Festo S. Stephani Protomartyris.

*Clamavit voce magna: Domine ne statuas illis hoc peccatum.*

Act. 7.

CURIOSAM quæstionem movet S. Chrysostomus: cur videlicet Christus Dominus sub lapidantium Judæorum manibus mori noluerit? *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum.* Et quæstionem ita resolvit. Reservavit sibi orbis Redemptor gravissimas quasdam doctrinas inter ultimos mortis singultus orbi proponendas, quæ doctrinæ inter crepitantium lapidum fragores haud facile potuissent exaudiri. Quapropter crucem tanquam cathedram elegit, è qua tantò significantiùs quantò pacaciùs perorare poterat: audiamus verba aurei oratoris. *Tumultuarium genus necis est lapidatio, & inter lapidum fragorem non poterant exaudiri ultima Christi mandata.* Quænam ergo mandata moriens Redemptor proposuit? Ea nimirum, quæ sunt de dilectione inimicorum. O! quàm solide, ac profundè hæc verba Christi ultima cordi impressit, & ipse imitatus est S. Protomartyr Stephanus, dum moriens ad DEum oravit: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Et quidem oravit *clamans voce magna*, ut etiam inter saxorum strepitus potuerit audiri. Vide Considerationem LXXXIII. Disce à crucifixo JESU ex animo inimicis tuis ignoscere, ac pro eorum salute fideliter orare.

Joan. 8.

S. Chrysostomus.  
Sylveir. T.  
4. in Ev. l.  
6. c. 28.  
9. 12.

### Pro Festo S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ.

*Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Ezech. 1.

NON immeritò sancta mater Ecclesia quaternis Ezechielis animalia quaternis sancti Evangelii scriptoribus attribuit. Sancto Matthæo faciem hominis, sancto Marco faciem leonis, sancto Lucæ faciem bovis appingit, idque cum analogia ad suum Evangelium, quod scripserunt, quia videlicet de humanitate, de prædicatione, de laboribus Christi orsi sunt? At cur sancto Joanni Evangelistæ facies aquilæ attribuitur? Quia longè altiori volatu super ceteros ad ipsius Divinitatis descriptionem statim initio sese evexit: *In principio erat Verbum.* Joan. 1.

X 13

6



& Verbum erat apud DEum. Quæris, à quo sublimem hunc volatum didicerit? A Christo Domino Magistro suo, cui præ cæteris charus erat. Vide Considerationem LII. Christus in cruce exaltatus, comparatur aquilæ provocantis nos ad volandum.

### Pro Festo Circumcisionis Domini nostri

JESU Christi.

*Vocatum est nomen ejus JESUS. Luc. 2.*

S. Ambr. in  
Psal. 118.

**E**X Ægyptiaca servitute ultrà quater centena hominum millia exierunt, & ex tam innumerabili hominum multitudine ultrà duos non fuerunt, qui terram promissionis ingressi sunt, inter quos erat Josue egregius ille & invictus Bellidux. In deserto mortuus est Moyses, mortuus est Aaron, mortui Principes tribuum. Quæso quæ fors ergo servavit Josuen, ut incolumis ingressus sit terram promissam? Audiamus responsum S. Ambrosii: *quicunque exierunt de Ægypto, perierunt in deserto: mortuus est Aaron, mortuus est Moyses: solum JESUM NAVE nominis sacri similitudo servavit.* En Christiana anima; nomen Josue per anagramma sonat O JESU, hoc salutiferum nomen servavit Josuen, hoc nomen invehere debet animas nostras in terram promissam æternæ felicitatis. Vide Considerationem CII, De triumphali titulo supra caput JESU crucifixi in trunco affixo, quid nobis insinuet?

### Pro Festo Epiphaniæ D. N. JESU Christi.

*Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Matth. 2.*

S. Gregor.  
hom. 10. in  
Ev.

**Q**uisquis cum tribus Magis adoratoribus Christum invenire desiderat, id sibi præprimis dictum, suatumque habeat, ut per aliam viam deinceps gradiatur. Num scire cupis per qualem viam? Audi moralizantem sanctum Gregorium: *Regio nostra paradysus est, ad quam JESU cognito redire per viam, qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus; sed ad eam necesse est, ut stendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refranando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui à paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hac per lamenta revocamur. Si ducem in hac via desideras, Crux tibi dux esto. Vide Considerationem XVI. SS. crux Christi columna nubis & ignis, ducens nos securè ad cælestem patriam.*

Pro



## Pro Festo S. Sebastiani Martyris.

*Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die.* Psalm. 90.

Milles quidam, cum fluvium impermeabilem pedibus trajicere non possent, securò quo hostium tela retundere solebat pro cymba usus est, indeque clypeum exosculatus: *hic*, inquit, *verus & solus amicus mihi fuit, cum premererque solo, cum premererque salo.* S. Sebastianus solo & salo, id est, tam in prosperis, quam adversis invincibilis erat, non poterat expugnari à timore nocturno, id est à fallacibus blandimentis Imperatoris, nec à sagitta volante in die, id est, ab apertis tormentis sui Martyrii. Quæris quo clypeo se tutus sit contra utrumque potentissimum hollem? Legitur in ipsius vita, quod SS. crucis signum semper intrepidè & apertè in thorace tulerit, hæc sanctissima crux ipsi clypeus fuit. Vide Considerationem XXIII. Crucifixus Dominus est clypeus Josue, omnibus in se sperantibus ferens opem & salutem.

Apud Alciadum in Embi.

## Pro Festo S. Mathiæ Apostoli.

*Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11.

Patriarcha Moyses, postquam peragrato mari rubro cum universo Israëlè perambulavit desertum Sur, venerunt tandem in Marath: erant ibi aquæ amarissimæ nec ad bibendum idoneæ, & *murmuravit populus contra Moysen, dicens: quid bibemus?* At ecce! Dominus DEus ostendit ei lignum, quo amaras aquas in dulcedinem convertit. In sensu allegorico SS. Patres cum Ambrosio & Cyrillo intelligunt sanctam Christi crucem, cujus virtute, memoriâ, & meditatione Sanctis omnibus labor & dolor dulcescit, ita ut de hac sacrosancta Cruce non ineptè intelligas hodiernam invitationem Evangelii. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Vide Considerationem LXXXVI. Crucifixus JESUS rebus in afflictis solamen nostrum & auxilium in tempore opportuno.

Exod. 15.

S. Ambr. l. de iis, qui myster. iniantur c. 3. S. Cyril. in Joan. l. 2. c. 17.

## Pro Festo S. Josephi Nutritii Christi.

*Cum esset desponsata mater JESU Maria Joseph.* Matth. 1.

Notatu digna est quæstio, cur DEI Filius ex omnibus Nutritiis non Regem, non Principem, non Illustrem quemdam: aut siquidem constituerat ex infima plebe, cur non alium opificem, quam fabrum lignarium elegerit, sanctum Josephum? Ad hanc quæstionem eleganter respondet Divus Chrysostomus:  
*idèd*



S. Chryf. in  
cat. D.  
Thom. in  
Matth.  
Pfal. 37.

idèò fabro lignario Maria desponsata erat, quoniam Christus Ecclesia sponsus omnium salutem hominum operaturus erat per lignum Crucis. Adeòque Christus Dominus per triginta annos in officina sancti Josephi semper præ oculis habuit lignum, & instrumenta passionis, ut verificaretur illud Psalmi: *Dolor meus in conspectu meo semper.* O quoties tunc fortè duo ligna cancellata aspexit, aut ipse in modum crucis posuit, ut suum patiendi desiderium hoc aspectu pasceret. Vide Considerationem XXXIX. De ardenti desiderio Filii DEI in cruce redimendi perditum mundum.

### Pro Festo Septem dolorum B. V. Mariæ.

*Ecce mater tua!* Joan. 19.

S. Ambr.  
ser. de pass.  
Dom.

**A**Deste Christiani omnes, peccatores & iusti, nostra res agitur: en Christus in cruce moriens testamentum condit, ait S. Ambrosius: peccatoribus remissionem, latroni paradysum, Nicodemo coronam spineam cum clavis, Josepho corpus, Patri spiritum, & demum Joanni Mariam legat. Quid? Joanni Mariam? O dilecte Chrisli Apostole, protektor & excipio nomine omnium Christianorum contra hoc ultimum punctum. Non tua solius est, sed nostrum omnium mater Maria. Apello cum S. Bernardo ad divinum tribunal, dicente: *quod Eva destruxit, Maria reparavit:* ergo sicut Eva fuit mater omnium viventium, ita Maria omnium fidelium, Hic mediatorem se interponit devotissimus Dionysius Carthusianus, inquit: *discipulus ille dilectus designat unumquemque fidelem; quemadmodum ergo Christus dixit Joanni: ecce mater tua! sic unicuique Christiano dedit matrem suam in matrem.* Nunc acquiesco & totus contentus sum. Vide Considerationem LXXI. Moriens IESUS, sanctissimam matrem suam juxta crucem stantem, omnibus fidelibus commendat.

S. Bern. ser.  
de 12. stel-  
lis Dionys.  
Carr. in  
Joan. sup.  
hæc verb.  
Ecce mater  
tua.

### Pro Festo S. Georgii Martyris.

*Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Joan. 15.

Cornel. à  
Lap. hic,

**S**I quis causam nosse cupit, cur Christus Dominus se viti, nos palmitibus comparet, audiat doctissimum Cornelium à Lapide: *causa est, quod Christus jam ibat ad Passionem, crucem & mortem, quam optimè representat vitis per suas uvas: sicut enim è calcata uva exprimitur vinum prestans, & sapidum, sic è calcato Christo in torculari crucis expressus est sanguis, quo redemptus est mundus.* Vidistis vitem, videte palmitem, quem nobis in sancto Georgio Martyre Ecclesia proponit: nec igne, nec ferro poterat à vite avelli, quid mirum si tantos heroicæ fortitudinis fructus protulit, quia in

vi-



vire Christo inseparabiliter permanfit. Vide Considerationem CXIX. Christus crucifixus vitis vera, fructu suo lætificans, & confortans cor hominis.

### Pro Feflo SS. Apostolorum Philippi & Jacobi.

*In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Joan. 14.

**C**redo equidem, Divine orbis Redemptor, quòd in immensis illis cælorum spatiis mansiones multæ sint; sed hoc sollicitos tenet animos nostros, an & nobis inter illas mansiones aliqua sit præparata? Hæc dum anxè eloquor, Auditores, experior, quòd sancti Philippus & Jacobus tesseram, ac pignus salutis infallibile acceperint: ille quidem per crucem, cui in Scythia anno ætatis suæ 54. fuit affixus: iste per crudelem præcipationem, qua Jerosolymis è pinnaculo templi anno ætatis 63. fuit dejectus, & terræ illisus: nam cruces & martyria pignus sunt æternæ salutis. Vide Considerationem CXXIII. Grata memoria crucifixi JESU Redemptoris nostri est prædestinationis nostræ insignis indicium ac signum.

### Pro Feflo Inventionis SS. Crucis.

*Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Joan. 3.

**P**ost cruentam Christi Salvatoris necem sanctissima crux à carnificibus in subjectam vallem fuit præcipitata, & super ingesta humo, ac ruinis obruta, ubi Divinus hic thesaurus per annos circiter 296. delituit. Elapso hoc tempore S. Helena Imperatrix in somnis admonita Jerosolymam petiit, eo fine, ut triumphale lignum investigaret. Tertiò igitur Maji Anno post reparatam salutem 329. tres cruces invenit, & quoniam dubium supererat, quamnam esset vera illa Christi corpore sanctificata crux, miraculum dubitationem resolvit: euidam morituriæ fœminæ cruces impositæ sunt, cum dux primæ nil profuissent, tertiæ, & vera Domini crux miseræ vitam & sanitatem dedit. Igitur prodigiosum lignum summo, ut pæ est honoris fastigio habitum, idem hæctenus toti Christianitati profuit, quod serpens exaltatus in deserto, nempe in mille millenis periculis, ac necessitatibus refugium & asylum est. Vide Considerationem XXI. Serpens æneus in deserto exaltatus, typus Christi pulcherrimus fuit in cruce exaltati.

Alphonf.  
Ciaconius  
de signis  
SS Crucis  
cap. 32.

### Pro Feflo Ascensionis D. N. JESU Christi.

*Elevatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cælum.* Luc. 24.

**I**ste Divine, & in cælum abire Redemptor! si unquam aliàs certè hodie tibi acclamo illud sponsæ: *trahè me post te.* Quid nos orphanos deseris? Cant. 1.

*Ginther unus pro omnibus.*

X g

da



S. Bern. ser.  
71, in Cant.

da ut mundo abrepti te in beatam patriam sequamur! maſti animis eſtote! Auditores, dabitur ſequi Dominum: ſed quomodo? Qua via? Non alia reſpondet Bernardus, niſi via crucis. Hinc ultimo adhuc momento, *elevatis manibus benedixit* diſcipulis, ut ſignificaret benedictionem cœleſtem non niſi per crucem obtineri. Vide Considerationem CL. Crux Domini noſtri Jeſu Chriſti cauſa omnium gratiarum, beneficiorum, donorum, ac benedictionum.

### Pro Feſto SS. Trinitatis.

*Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.*  
Math. 28.

Quod inauguratio militum eſt ſub ſigna ducis, hoc nobis baptiſmus eſt, nempe conſcriptio Chriſtiani ſub vexillum crucis. Hinc unâ cum pronuntiatione SS. Trinitatis in baptiſmo nobis Crux ultra decies confertur. Crux noſtrum robur eſt, gladius & ſcutum contra hoſtes viſibiles & inviſibiles, Vide Considerationem CXLVII. In cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti omnis Chriſtianorum gloria, & victoria conſiſtit.

### Pro Feſto Corporis Chriſti.

*Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus.* Pfalm 110.

Valer. Max.  
L. 4. c. 6.

S. Chryſ.  
hom. 45. in  
Joan.

Regina illa Mauſolum virum ſuum ſupra omnes amorum fabulas, ultraque affectionis humanæ fidem amaſſe fertur. Hæc in violenti amoris indicium ipſamet Mauſoli vivum & ſpirans ſepulchrum fieri concupiſcens extincti oſſa in cineres redacta, portione commixta biſſe narratur. Verùm cedant humana divinis: longe ardentiori affectu ſuum nobis amorem comprobavit DEI Filius, cui non ſatisfuit in cruce cruentâ morte immolari, ſed inſuper incruento quoque modo per manus Sacerdotum offerri voluit. *Ut non ſolum per dilectionem, ſed re ipſa in illam miſceamur carnem, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt,* ait S. Chryſoſtomus. Vide Considerationem CLVI. Sacrificium aræ crucis idem eſt cum ſacrificio altaris, non tantùm in repræſentando, ſed etiam in eſſendo.

### Pro Feſto S. Joannis Baptiſtæ.

*Tu puer Propheta altiſſimi vocaberis, præiſis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Luc. 1. v. 76.

Cornel. à  
Lap. in Luc.  
c. 1.

Quando Rex, aut magnus Princeps in urbem venturus eſt, præmittuntur curſores, & nuntii: quo fine? Ut viæ præparentur, ut auferantur impedimenta, ſaxa, ſordes & ligna. Ita Chriſto cœleſti Regi præmiſſus eſt

Joan-



Joannes: conatus est saxa, ac lapides è via amoliri, quia venit prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Verùm ligna, & cruces è via non amovit, quia via, quam Christus trivit, plena fuit lignis, & crucibus obfita. Vide Considerationem XL. Tota vita Christi JESU Filii DEI & hominis in hac terra crux fuit & martyrium.

### Pro Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

*Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Math. 16.*

Vidit Nabuchodonosor in somnis prægrandem statuam portendentem quatuor mundi Monarchias: & ecce lapis de monte abruptus & ad pedes statuae illius machinam omnem confregit, lapis autem in immensum montem subito excrevit. *Regnum Christi comparatur lapidi duro, subintrat hic Cornelius, quia Christus, est petra, supra quam fundata est Ecclesia: pro lapide autem, quo confringeretur immanis statua gentilissimi, usus est Apostolis & præcipuè Apostolorum principe Petro, hic petra est, supra quam Christus promisit se aedificaturum Ecclesiam. Vide Considerationem XX. Petra Moysis, ex qua percussa fons vivus aquarum emanavit, typus exitit Christi crucifixi.*

### Pro Festo S. Mariae Magdalenæ.

*Lacrymis coepit rigare pedes ejus. Luc. 7.*

Post mortem Christi Domini Beata Magdalena una cum tota familia sua laceræ, & verminosæ navi imposta, & ab invidis Judæis in altum mare sine velo, sine remige protrusa est. Tandem DEO ducè ad portum Massiliensem in Gallia appulit, ubi in contigui montis spelunca residuæ vitæ habitaculum elegit quidem, sed ab infernali veteratore multas luctas, ac vexationes diu perpeffa est. At ecce Archangelus Michaëli in auxilium venit, qui dispulsis orci insidiis ante fores cavernæ Crucifixi imaginem collocavit. Hic Magdalena tota in gemitus effundi, hic antea vitæ noxas coram crucifixo amore suo deplorare, hic de novo *lacrymis coepit rigare pedes ejus*. Tu peccator quisquis es, si secutus es Magdalenam peccantem, sequere poenitentem, & ad pedes crucifixi JESU tua delicta deplora. Vide Considerationem CXXXIV. Qui ex animo ad DEum T. O. M. vult converti, ad pedes crucifixi JESU sæpius suam contritionem excitet.

( g 2

Pro-



## Pro Festo S. Jacobi Apostoli.

*In baculo meo transivi Jordanem. Gen. 32.*

S. Greg.  
hom. 11.  
in Ev.  
Gen 47.  
v. 9.  
S. Hieron.  
in Ezech. 47  
S. Greg.  
hom. 16. in  
Ezech.  
S. Aug. ser.  
79. de  
temp.

**S**anctus Apostolus Jacobus specie peregrini pingi solet: figura omnium nostrum refert, quia *in hac vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergitur*. Hinc bonus ille Patriarcha quæsitus de annis ætatis suæ respondit: *dies peregrinationis meæ centum triginta annorum*. An vivere idem est ac peregrinari! consummato hoc vitæ cursu Jordanes nobis transeundus est, id est iudicium, Jordanes enim, teste Hieronymo, & Gregorio iudicium interpretatur. Feliciter peregrinationem suam confecit, quisquis feliciter iudicium transit. Sed cum peregrinus præcipue baculo indigeat, quo baculo utemur, ut feliciter transeamus? Baculo crucis, ait S. Augustinus. Vide Considerationem XII. Crux dominica baculus Jacob, cujus ope nos oportet hujus sæculi transire Jordanem.

## Pro Festo S. Annæ Matris B. V.

*Simile est regnum celorum thesauro abscondito. Matth. 13.*

Matth. 20.

S. Chrys. hic

**C**um quadam vice Christus Dominus discipulis, aliisque permultis sequacibus stipatus iter ageret, Apostolos suos à turba paulò avocavit. *Assumpsit duodecim suos secreto & ait illis. Quid hoc est Divine Redemptor, tu semper palam locutus es, ut quid nunc secreto loqueris? Apostolis tuis revelas mysterium crucis & passionis, dicens, filius hominis tradetur ad crucifigendum. Cur hoc secreto? respondet S. Chrysostomus: quia pretiosior thesaurus reponitur in melioribus locis secreto: idè thesaurum suæ crucis committit discipulorum cordibus secreto. O sancta Crux! tu thesaurus es divitiarum immensarum, qui te reperit, thesaurum absconditum reperit. Vide Considerationem CXV. Christum crucifixum thesaurus est inexhaustus bonorum omnium, gratiarum ac benedictionum.*

## Pro Festo S. Laurentii Martyris.

*Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur. Luc. 12.*

**C**redideram hætenus, unum unicum fuisse ignem, quo beatus Laurentius arsit: sed hodie aliter me edocet sanctus Pontifex Leo inquitens, fortiorum fuisse flammam, qua sanctus Martyr intus, quam extrà arserat: externam accendit tyrannus, internam amor crucis & passionis; hinc in mediis flammis flammam & tormenta contempsit. Vide Considerationem XXXIII. Tres pueri Babylonis in fornace ignis ardentissimi virtutem sanctæ crucis agnoverunt.

Pro



## Pro Festo S. Bartholomæi Apostoli.

*Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua. Job. 2.*

**Æ**terna Veritas Christus in monte Oliveti dormientibus discipulis vigilabat; in navicula verò exortâ tempestate periculosè jactata vigilantibus discipulis dormiebat. Hic quærit S. Ambrosius: *Cur Christus, qui pernoctabat in oratione, nunc dormit in tempestate?* nonne utrinque grande periculum imminet, in horto quidem à Judæis insidiantibus, in mari autem à procellis intumescensibus? Ita est: responder sanctus Hilarius: utrinque grande periculum imminet; sed cum hoc discrimine, quòd in mari tantum corpus perichitetur, hinc Christus dormivit: in horto autem perichitantur animæ discipulorum, quia in fide tentabantur: hinc Christus vigilavit: significans, longè majori sollicitudine curandam esse animam, quàm corpus: pereat corpus, modò fervetur anima. Ideò Sanctus Bartholomæus pellem dedit, cultorum lanienam pertulit, corporalem mortem sustinuit, ut anima salva sit. Sed quid explico, quid passus sit S. Apostolus pro anima, potiùs explicare pergo, quid Christus pro anima pertulerit. Vide Considerationem LXXXXI. Consideratur labor & dolor crucifixi Jesu, quem pro salute nostra usque ad finem fortiter sustinuit.

S. Ambr. l. 6. in Luc. c. 2.

S. Hilar. conv. 31. in Matth.

## Pro Festo Exaltationis SS. Crucis.

*Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Joan. 12.*

**S**icut ovicula viridi ramo, magnes ferro, solsequium luce meridiana trahitur; ita humanus animus trahitur beneficiis: *ego si exaltatus fuero*, ait hodie Christus, *omnia traham ad meipsum.* En Domine exaltatus jam es in SS. cruce tua, postquam Heraclius Imperator eam ab impio Chosroa in Persidem allatam denuò in monte Calvaria collocavit, nunc trahes ad te animos cœlestium, terrestrium & infernorum; cœlestium, ut adorent, infernorum, ut metuant, terrestrium, ut sperent in SS. cruce tua, quia refugium, salus, & spes est totius Christianitatis: ita ut cum S. Leone exclamare fas sit: *O admirabilis potentia crucis, O ineffabilis gloria passionis! traxisti enim Domine omnia ad te &c.* Vide Considerationem CXL. Ad crucis contactum resurgunt mortui, & magnalia DEI referantur.

Ex Brev. Rom. hoc Fest.

S. Leo. ser. 8. de pass.

## Pro Festo S. Matthæi Apostoli.

*Vidit Jesus hominem sedentem in telonio. Matth. 9.*

**N**otatu digna quæstio est, cur S. Apostolus Matthæus post suam vocatio-



S. Greg.  
hom. 24. in  
Evang.

nem nec momento amplius ad telonium redierit, cum tamen S. Petrus, postquam relictis omnibus secutus est Dominum, nihilominus postliminio ad piscationem rediisse legatur? Huic quaestioni satisfacit S. Gregorius docens: *aliud est victum per piscationem querere, aliud autem telonii lucris pecunias augere; sunt enim pleraque negotia, quae sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt.* Fugit itaque S. Matthaeus periculum usurae, fugit avaritiam grande malum. Vide Considerationem LXII. Avaritia & proprium Interesse Filium DEI ad mortem crucis magna ex causa promoverunt.

### Pro Festo S. Michaëlis Archangeli.

*Tunc parebit signum Filii hominis.* Matth. 25.

Eckius  
hom. 4. de  
S. Mich.

NON frustra hodie hoc themate utor de signo Filii hominis, quia, ut opinatur doctissimus Eckius, sanctus Archangelus Michaël in iudicio crucem praeferet, coram toto orbe instar Solis fulluram; hinc ab Ecclesia dicitur *Signifer sanctus Michaël.* O quam dispari vultu gloriosum hoc vexillum intuebuntur iusti, & impii: illi cum amore & exultatione, isti cum aversione & tremore. Tu Christiana anima, si bonus tibi consul sim, nunc timere Christum incipe, ut in illa die viso crucis vexillo exultes. Vide Considerationem LXXXIII. Christus Dominus, si attentam mente ipsum consideramus, salutarem nobis debet incutere timorem.

### Pro Festo SS. Apostol. Simonis & Judæ.

*Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Joan. 15.

Act. 5.

Hebr. 11.

QUISquis amat servitium DEI ex toto corde amplecti, præparet cor suum ad tentationes, & mille adversitates: consule sanctos Apostolos, audies cum stupore, quam laboriosas peregrinationes, frigora & ardores, famem & sitim perpessi sint, & tamen honori sibi duxerint pro nomine *Jesu contumeliam pati.* Consule sanctos Martyres, audies cum horrore, qua ratione *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Consule Sanctos Confessores, audies cum tremore, quantam austeritate, ciliciis, jejuniis, diurnis, nocturnisque afflictationibus corpus extenuarint. Consule demum sanctas Virgines, audies cum admiratione, quam decumana certamina ac luctas pro conservatione sui candoris exantlarint. DEUS bone! quis volet accedere ad servitium DEI tot prævisis tribulationibus, & incommodis? *Ille* voluit accedere, qui exemplum Christi præeuntis ante oculos habet: ideo animavit suos discipulos, & sequaces: *non est servus major Domine suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Vide Considerationem CXLIII. Christus crucifixus est vera idea, exemplar, & fortitudo Martyrum.

Pro



## Pro Festo Omnium Sanctorum.

*Hi omnes qui sunt, & unde venerunt? Apoc. 7.*

**A** Bimelech dum quadam vice in montem Selmon ascendit, ubi arreptâ securi ramum arboris præcidens, & humeris asportans, militibus suis alta voce succlamavit: *quod me vidistis facere, citò facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem.* Christus Dominus noster dux est, præcudit ille crucem, & innumerabilem sanctorum populum post se traxit. Incurare omnes sanctorum cælitum ordines, interroga de omnibus, *Hi qui sunt, & unde venerunt?* Et responsum recipies de singulis: Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, videlicet exemplò Christi animati. Vide Considerationem XVII. Crux Dominica servis DEI omnes indulcorat labores, ærumnas & miseras, ipsamque denique horrendam mortem.

Judic. 9.  
v. 49.

## Pro Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum.

*In sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu. Zach. 9.  
v. 11.*

**Q**uando incendium est, nemo non accurrit opem & aquam laturus. O Christiana pectora, incendium est! non Trojæ, non Romæ: sed in lacu ignito cremantur animæ, Parentes, fratres, ac familiares vestri. Nisi in saxa obduruistis, accurrite, opem ferre. Non quidem anhelant aquas, sed sanguinem: scitis qualem? In Chronica Minorum legitur, quòd B. Joannes de Alvernia in hac memoria pro animabus orans, viderit multitudinem scintillarum è magna & ardente fornace prodeuntium quasi infinitas animas è purgatorio in cælum evolare. Qua oratione usus est? Invocavit SS. Redemptoris vulnera. Tu Christiane ex his vulneribus sacrosanctum sanguinem pie elice, & miseris animabus in refrigerium effunde. Vide Considerationem CLX. De pretioso sanguine D. N. Jesu Christi crucifixi optimo pro liberandis animabus purgantibus remedio.

## Pro Festo S. Martini Episcopi.

*Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. Luc. 11.*

**G**edeon generosus Bellidux trecentis militibus tubam in manus dedit, vas testaceum, & ignem. Dein ipse Antesignanus viam prævit, & cum

Judic. 7.  
v. 20.



cum ad destinatum locum pervenerant, lagena confringi debebat, in qua absconditum lumen latuit. Lagena contracta, ait S. Gregorius Magnus, humanitatem Christi designat innumeris vulneribus laceratam: lumen absconditum immensam illius charitatem portendit. Voluit divinus hic Antesignanus, ut lucernæ ardentes in manibus nostris sint, & eum generosè sequamur. Talis Christi Domini pedissequus miles fuit S. Martinus. Vide Considerationem XLVII. Christus ferens crucem omnes Christianos ad sui sequelam invitat, & animat.

### Pro Festo S. Catharinæ V. & Martyris.

*Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias. Math. 25.*

Ex vita S.  
Cath.

**G**Loriosa hæc Virgo Alexandrina blandientis tyranni thalamum generoso contemptu averfata est. Proinde meruit Deo animarum Sponso desponsari. Quadam enim vice Beatissima cælorum Regina cum aliquot Sanctis Virginibus ei spectabilis facta est: & ecce! divinus Puffo in gremio matris residens per annuli subarrhationem Catharinam sibi in sponsam delegit. Gratulor ô felix Virgo! at an scis, quid donorum antenuptialium loco tibi expectandum sit? Nil, nisi cruce & passiones. Expertæ sunt omnes Virgines Christi Sponsæ, quæ à sanguinum sponso nil aliud dotis nomine acceperunt, nisi participationem Dominicæ passionis. Vide Considerationem LXXXVIII. Ad Christum crucifixum sanguinum sponsum invitantur omnes sacræ Virgines, ac piæ animæ,

### Pro Festo Dedicationis Ecclesiæ.

*Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat. Luc. 19.*

Luc. 19.

Dionys.  
Carth. hic.

**C**Um Christus Dominus ingenti hominum multitudine stipatus perambulet Jericho, Zachæus, vir tam vitiis grandis, quàm statutâ pusillus præcurrens ascendit in arborem. Ubi eum vidit benignissimus Dominus, confestim iussit descendere: *Zachæe festinans descende.* At verò quærere juvat, cur descendere iussus sit? Subintrat hic doctissimus juxta ac piatissimus Dionysius Carthusianus docens, quòd per arborem repræsentetur sanctissima crux Christi. Voluit itaque mitissimus Dominus dicere: Zachæe non tibi competit hæc gloriæ, quòd ante me in crucem ascendas, ego ego hanc arborem crucis elegi ad redimendum genus humanum, & salvandos peccatores, quorum gratiâ in mundum veni. Vide Considerationem LXXXVIII. Christus in cruce prærior est ad nos exaudiendum, quàm

in sinu Patris,

CON-